





HER

PRAEDIOUM COMMENTATIO





IN FR. VI. COMMVNIA PRAEDIORVM COMMENTATIO.

AVCTORE

FERDINANDO FRID. ALB. MVTHER

I. V. D.



ERLANGAE A. MDCCCLVIII.

PROSTAT APVD ANDREAM DEICHERT.

ET VENIAM PRO LAVDE PETO; LAVDATVS ABVNDE
NON FASTIDITVS SI TIBI LECTOR ERO.

OVIDIVS.

VIRO CONSVLTISSIMO CELEBERRIMO

ALOYSIO BRINZ

I. V. D. IN ACADEMIA PRACENSI P. P. O.

S. P. D.

AVCTOR.

En tibi, uir consultissime, primitiarum ex studiis meis offero munus: non quod id munus tanto uiro dignum esse putem nec quod hoc facto opiner fore, ut ex tua, qua gaudes inter ICtos, claritate lucis aliquid in me resplendeat: sed ut aliquo documento utut potuero declarauerim, quanta sim erga te, qui me Friderico Alexandrinae ciuem uoce, auocatum ab illa academia scriptis omnium acerrime ad ius Romanum penitius cognoscendum incitaueris, animi gratia, pietate, uerecundia. Inde quamquam nec ignoro, noui hac commentatione parum me eruisse, et, ut

paratis ac quaesitis iam in iurisprudentia copiis, quemadmodum debebam, usus sim, uereor: tamen non ingratum munus meum tibi propter uilitatem, sed acceptum propter animum offerentis futurum esse non possum non sperare. Quae ne me fefellerit spes, ex intimo animo cupio.

Ad interpretationem autem fragmenti sexti communia praediorum potissimum conscribendam ductus sum, cum anno abhinc proximo ill. ordo in academia Albertina Regimontana ICtorum idem fragmentum interpretandum ciuibus suis certaminis literarii instituendi causa commendasset: in cuius arenam ingresso quamquam contigit, ut primo praemio coronarer, tamen hoc nescio an magis humanitati iudicantium, quam dignitati scripturae meae tribuendum sit.

Conspectus.

DE SERVITVTIBVS QVOMODO IN PRAEDIORVM ALIENATIONIBVS APVD ROMANOS CAVERI SOLITVM SIT? *)

Cap. I. In usu habebatur apud Romanos aurea etiamtum iurisprudentiae illa aetate praeter uulgarem et simplicem ut ita dicam modum constituendarum seruitutum, in eo positum, ut eae ipsae manciparentur aut cederentur in iure [1]), et alter modus, quem quidem Gaivs [2]) hisce uerbis describit:

„Quod autem diximus usumfructum in iure cessionem tantum recipere, non est temere dictum, quamuis etiam per mancipationem constitui possit, eo quod in mancipanda proprietate detrahi potest: non enim ipse ususfructus mancipatur, sed cum in mancipanda proprietate deducatur eo fit ut apud alium ususfructus, apud alium proprietas sit.“

*) Hac de re tractant Barnabas Brissonivs, de formulis et solennibus populi Romani lib. VI., 26—42, 137—140, 172; Stever, de seruitutibus praediorum, capp. IIII. V; Dirksen, Vermischte Schriften, tom. unic., V. 2; Ad pleraque fragmentorum infra ex Digestis citandorum commentatus est Cviacivs in Opp. postum. tom. IIII (ed. Fabroti).

1) Vlpianvs Fra. XIX. 11; Gaivs, Institt. II. 29. 30.

2) II. 33.

Hisce comparare iuuat ea quae PAVLLVS [3]) scribit:

„Per mancipationem deduci ususfructus potest non etiam transferri. Per do lego legatum et per in iure cessionem et deduci et dari potest",

quibus quidem illa Gaiana eotenus supplentur, ut etiam per in iure cessionem et legatum usumfructum deduci potuisse cognoscamus.

Quaerentibus autem quomodo tandem factum sit ut possent seruitutes [4]) in rerum mancipationibus uel in iure cessionibus deduci, recurrendum est ad illud XII tabularum:

„CVM NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE VTI LINGVA NVNCVPASSIT ITA IVS ESTO [5])",

ex quo non solum ipsius nexi mancipationisque auctoritas, sed etiam pactorum quorumlibet illis adiectorum ualor confirmatus est. Quemadmodum autem ex hoc ipsis uerbis, quibus utebantur ii, qui nexo dabant, si quidem HVSCHKIO [6]) credimus, ita conceptis:

„QVOD EGO TIBI M. ASSES HOC AERE AENEAQVE LIBRA NEXOS DEDI EOS TV MIHI POST ANNVM CVM FOENORE VNCIARIO DARE DAMNAS ESTO",

---

3) Frg. Vat. 47.

4) Nimirum in Digestis sicut infra apparebit cuiusuis generis seruitutes detrahi potuisse docetur; quodsi apud GAIVM inque fragmentis Vaticanis ususfructus dumtaxat deductio commemmoretur: hoc non plus probat, quam ususfructus deductionem inter omnes seruitutum deductiones usitatissimam fuisse. Ideoque putandum est quasi exemplar proponi omnium detrahendarum seruitutum a GAIO et PAVLLO ususfructus deductionem.

5) FESTVS s. u. Nuncupata pecunia; CICERO, De orat. I. 57. De nexo uide VARRONEM de L. L. VII. 5, 105; FESTVM s. u.

6) Ueber das Recht des Nexum und das alte römische Schuldrecht. 1846.

quibusque comprehenditur lex dationi dicta cui ab altero pronunciatae alter tacite sese adstringit; quemadmodum eis ipsis uerbis, inquam, idoneum uisum est ex illa XII tabularum lege posse conditiones quasdam certas et modos, sub quibus daretur pecunia, inseri: ita et ipsis iis, quibus, qui mancipio accipiebant utebantur uerbis:

„HANC REM MEAM ESSE AIO EX I. Q. EAQVE MIHI EMTA EST HOC AERE AENEAQVE LIBRA“

— quae quidem est lex pecuniae dicta — accuratior rei ipsius, quae alienabatur, descriptio definitioque comprehendi poterat: ita ut eius rei notio et certis finibus circumscribi et latius quam principio patebat extendi posset. Vel ut clarius dicam: tam excipere ex re alienanda certas res certaque iura uenditor poterat, quam illi rei certas res certaque iura addere. Quoad externam autem formam has ex re exceptiones uel rei accessiones ipsi legi pecuniae dictae, si fieri poterat, plerumque innecti solitas esse plus quam uerisimile est. Sed quum molestius saepe esset, rerum iuriumue quae excipere uel addere uellet is, qui mancipio dabat, accuratiorem descriptionem — et accurate eas res describi utique necesse erat [7]) — ipsi legi mancipationi dictae inserere: mox receptum uidetur, ut de iis uel ante mancipationem uel post factam statim caueretur; eaque pacta, uestita saepe stipulationis forma, iudicata esse facile dixeris eandem uim et auctoritatem, quam ipsam mancipationem, habere.

Haec igitur omnia de mancipatione. Sed pariter eadem de in iure cessione contendere non dubitamus. In qua fortasse si descriptio iuris recipiendi ipsis uerbis solennibus eius, cui cedebatur, inseri non potuit; liberam ab ea circumscriptione hic principio uindicabat rem, deinde

7) Fr. 7 comm. praedior.

in iure cedens a Praetore interrogatus, an contra uindicaret, seruitutem se uelle receptam exprimebat.

In traditionibus rerum autem, quo tempore mancipatio atque in iure cessio etiamtum apud Romanos in usu habebantur, seruitutes omnimodo constitui non potuerunt:

Fr. Vat. 47: „In re nec mancipi per traditionem usus fructus deduci non potest: nec in homine si peregrino tradatur: ciuili enim actione constitui potest, non traditione, quae iuris gentium est."

Sed tempore addito haec mutata, et iam ante IVSTINIANVM aut pacto constat aut pacto quod sequatur quasi traditio seruitutis — adhuc sub iudice lis est — constitui potuisse seruitutes. Etenim prout ius antiquum Quiritium seuerum illud et difficile magis magisque locum patefaciebat faciliori iuri gentium: ita antiqui illi et solennes actus legitimi — dico in primis in iure cessionem et mancipationem — non euanescere e uita Romanorum non potuerunt [8]). Inde factum est, ut cum IVSTINIANVS illas iamdudum demortuas insuper nominatim decideret inque eorum locum traditionem substitueret: in Digestis cognoscamus quasuis seruitutes recipi detrahique posse etiam per rerum traditiones, quibus quidem antea seruitutum deductiones adiici non poterant [9]).

---

8) In iure quidem cessionem iam GAII temporibus probabile rare in usu habitam esse. GAI. II. §. 25. Nouissime mancipatio et in iure cessio commemorantur in rescriptis quibusdam impp. DIOCLETIANI (Vat. Fr. 313. Cod. Herm. VII. 1.) et CONSTANTINI (C. 4. C. 5 C. Th. de donatt. (VIII. 12).

9) Retro autem recte colligimus locis Digestorum desumtis ex scriptis ICtorum, qui aurea illa iurisprudentiae aetate floruerunt, iis inquam locis quoties de recipiendis seruitutibus in rerum alienatione agatur, putandum esse in ICtorum scriptis genuinis actum esse de recipiendis seruitutibus in rerum mancipatione uel

Cap. II. Sed omnino in mancipandis uel cedendis in iure praediis de seruitutibus tripliciter cauebatur. Aut enim nouas uenditor — ut liceat breuiter hoc omnium qui alienant exemplo uti — rei uendendae seruitutes impositurus, excipiebat easdem sibi per legem mancipationi uel in iure cessioni dictam; aut accessuras seruitutes rei uenditae promittebat. Denique is obtinebat mos apud Romanos, ut dicerentur leges quaedam uenditionibus rerum, quibus et ipsis quidem uenditores suae securitati prospectum uellent, sed quibus nouae seruitutes rei non imponerentur: eas leges dico, quibus, quae iam ante rei impositae fuerant, seruitutes denominabant, ueriti, ne, si eas impositas esse omisissent nominatim exprimere, emtores quasi inde laesi aduersus ipsos reuerterentur.

Et quidem ut primam quam posuimus rationem accuratius intueamur, in uendendis fundis quemadmodum saepe ruta et caesa [10]) excipi uidemus, itemque dolia [11]) et fructus [12]) et lapidicinas [13]); in hereditate uendenda fundum [14]); quemadmodum occurrit porticulum receptum [15]), pomum receptum [16]), recepticius seruus [17]), et peculium

in iure cessione: quarum quidem nomina ut penitus delerent ingentem curam ii, qui Digesta adornarunt, adhibuerunt.

10) Fr. 17 §. 6 de A. E. V. Cicero, Top. c. ult., De oratore c. 53. Tam hoc quam sequentibus in contextu exemplis, uerisimile est, quod ipsis uerbis solennibus mancipio accipientis uel eius cui cedebatur, inserebatur tale quid: EXCEPTIS RVTIS ET CAESIS, EXCEPTIS DOLIIS *cet.*

11) Fr. 76 de contr. emt.

12) Fr. 40 §. 4 eod.

13) Fr. 77 eod.

14) Fr. ult. de hered. uel act. uend.

15) Plavtvs, Trinummus I. 2. 157.

16) Fr. 205 de V. S.

17) Gellivs, Noct. Attic. XVII. 6.

documento nullo hac de re docemur. Sed hoc loco coniecturae supra a nobis prolatae meminisse forsan iuuabit, tum si difficilius uideretur inserere totam seruitutis recipiendae descriptionem uerbis solennibus, quibus utebatur qui mancipio accipiebat, esse ante factam mancipationem uel cessionem in iure ab eo, qui mancipabat uel cedebat, solennibus uerbis seruitutem receptam. Et hoc puto simili fortassis modo factum esse, atque quo de iis seruitutibus, quae praedio uendito iam antea inhaerebant, cauebatur, cuius quidem generis ea cautio est: ITINERA, ACTVS, QVIBVS SVNT, VTIQVE SVNT, RECTE RECIPITVR[25]. Quae suspicatio proxime abesse a ueritate uidetur, si recordamur, quod CICERO (De oratore I. 39), cum loquatur de deducenda et nunc constituenda seruitute: „Nam cum aedes L. Fusio uenderet" inquit „in mancipio lumina uti tum essent ita recepit." Nam CICERONI lex mancipationi dicta obuersata esse uidetur forsan talis: LVMINA, VTI NVNC SVNT, RECTE RECIPITVR.

Certe aliquando usu uenisse, ut non ipsis uerbis solennibus mancipationis uel in iure cessionis exceptio seruitutis insereretur, colliges facili negotio ex

Fr. 10 commun. praedior. (VLPIANVS libr. X. ad SABINVM): „— illa generalis exceptio: QVIBVS EST SERVITVS VTIQVE EST, ad extraneos pertinet, ipsi nihil prospicit uenditori ad iura eius conseruanda" rel.

Non enim poterat omnino quaerere, an illa cautione uenditor uideretur sibi recepisse seruitutes, VLPIANVS, nisi moris fuisset, ut etiam cautionibus specialibus mancipationi adiectis uenditores sibi seruitutes reciperent: iisdem fere et similibus, quibus cauebant, ne ob seruitutes a praedio iam ante debitas emtori euictionis nomine tenerentur.

25) Fr. 69 de euictt.

Cap. III. Originem traxit hic praedialium seruitutum constituendarum modus in recipiendis iis positus procul dubio inde, quod saepe, qui ex duobus, quae habuerat, uicinis praediis alterum uendit, utique seruitute uendito praedio imponenda indiget. Multorum enim praediorum uicinorum talis situs ac conditio est, ut alterius praedii dominus sine seruitute alterius praedio imposita suo praedio non quemadmodum uelit aut non sine molestia uti possit. Quodsi utriusque praedii unus dominus: seruitute non opus est. Nam tum omnia, in quibus seruitutes consistunt, domino in alterutro facere licet praedio iure dominii, non iure seruitutis. In totum igitur statuo ipsam praediorum necessitatem fuisse causam, ex qua hic constituendarum seruitutum modus oriretur [26]). Quoad ipsam naturam autem et indolem huius receptionis seruitutum dupliciter puto ratiocinandum. Ab altera enim parte dicendum, quod seruitute recepta apud priorem dominum remanet aliquid, quod ipse antea habuerat; non plenum ac liberum a seruitute principio dominium rei ad alterum transfertur ac translato demum seruitus imponitur sed statim coangustatum seruitute et circumscriptum ad mancipio accipientem transit. Excipitur igitur aliquid ex dominio et id statim apud mancipantem remanet. Ab altera autem parte non praetermittendum, quod nunc seruitus constituitur; nam noua omnimodo seruitus existere eodem momento, quo transit ipsum dominium rei, incipit, quia, licet idem ius

26) Iam inde iudicare licet, quam futilis illa sententia habenda sit in qua sunt qui dicunt: seruitutem quae sit inutilis fundo dominanti, cum alio modo constitui nequeat, tamen posse recipi in tradendo altero praedio. Nam si quae supra exhibuimus uera sunt: ipsa origo ac natura receptionis seruitutum huic sententiae contraria est. Sed uide infra cap. VI.

faciendi in quo seruitus consistit, antea iure dominii uenditor habuerit, non tamen seruitutem ac ius in re (aliena) habuisse intellegitur. Ex his autem apparet, nos receptioni seruitutum maiorem quandam grauitatem et uim uindicare quam quae ei plerumque tribuatur. Nam si is qui recipit seruitutem non quod ante habuerat recipit sed sibi acquirit nouum quod nondum habuerat ius seruitutis: est numeranda receptio seruitutum inter modos quibus seruitutes constituuntur[27]), quodque sibi quisque eorum modorum iuris expostulat, idem et ipsa receptio merito sibi expostulabit: neque quaecunque in unoquoque eorum modorum ad seruitutem constituendam requiri dicemus, in receptione seruitutum requiri negabimus[28]).

Cap. IIII. Sed secundo diximus ita saepe caueri solitum esse in alienatione praediorum de seruitutibus, ut uenditor, qui ex duobus praediis alterum retineret, in mancipando uel in iure cedendo altero alterum retentum huic seruum faceret[29]). Ac talis quoque ualida habebatur constitutio seruitutum, utpote uires accipiens ex ipsa mancipatione uel in iure cessione, cui quasi pars inerat. Ma-

---

27) Perperam igitur GANS, Scholien zum GAIVS, p. 238, nimiae arguit diligentiae GAIVM, propterea quod is, si usus fructus in mancipatione deducatur, mancipatione constitui usumfructum dicit.

28) Haec contra eos, qui dicunt seruitutem praedii etiam recipi ab eo posse, qui nullum praedium idoneum, cui recipiat, habeat. Sed illi tantum cogitant, quod ex alienatione dominii aliquid quodcunque qualecunque excipitur, eamque licentiam, ut, quod uelit, excipiat ex alienatione, unicuique dandam esse clamant, non animaduertunt, quod seruitus excipiendo constituitur, quodque ad seruitutes constituendas multa requiruntur.

29) Exempla prostant in Fr. 34 de seruitt., Fr. 3, Fr. 6. comm. praed., Fr. 32 de S. P. R.

nat autem ex eadem caussa et origine is seruitutum constituendarum modus, atque ex qua receptionem seruitutum manare diximus: ex ipsa necessitate praediorum. Nam quae praedia antea sub uno domino unum quodammodo quoad seruitutes fuerant, eorum iam separatorum alterum alterius requirit seruitutem [30]).

Sed ne longius moremur statim ad tertiam quam posuimus de seruitutibus cauendi rationem transgrediamur.

Et quidem fert secum ipsa seruitutum natura, ut ipsum rei, cui inhaerent, dominium minuant uel extendant [31]). Dominium autem tale quisque transfert quale apud ipsum futurum fuisset [32]). Tacite itaque quoque seruitutes praedia sequuntur [33]). Inde autem debitae dominii causam meliorem faciunt, impositae deteriorem; debitae ab aliis quasi emolumenta, impositae quasi uitia rei spectantur. „Quid enim aliud sunt iura praediorum, quam praedia qualiter se habentia, ut bonitas, salubritas, amplitudo?“ [34]) Sed cum antiqui sane apud Romanos moris

30) Ex eo, quod hic modus constituendarum seruitutum — quem quidem omnes nil singulare habere consentiunt — cum deductione seruitutum parem omnino originem, naturam, fundamentum habet, unde etiam de utroque coniunctim plerumque ICti Romani loquuntur: rursus intellegitur falsam esse sententiam illam ex qua deductio seruitutum singularis quidam et exemtus modus seruitutum constituendarum, non tantum quoad externam formam, sed etiam quoad ea, quae alioquin ad seruitutes constituendas desiderantur, moderamina habetur, ita ut seruitutis, quae recipiatur, alia plane notio efficiatur, quam eius quae alio modo constituatur.

31) Fr. 5 § 9 de O. N. N.

32) Fr. 66 Fr. 67 contr. emt.

33) Fr. 75 de euict. Fr. 20 § 1 de A. R. D. Fr. 12 comm. praed.

34) Fr. 86 de V. S. Cf. Fr. 12 quemadmod. seruit. Fr. 59 de contr.

fuerit, ut in uendendis rebus de quibusuis rerum qualitatibus nominatim caueretur: etiam in praediis uendendis mox receptum uidetur, ut non tantum de externis eorum uitiis et qualitatibus[35]), sed etiam de seruitutibus iis inhaerentibus utpote dominii ipsius conditionem uel meliorem uel deteriorem facientibus nominatim caueretur.

Quae quidem cautiones si in facienda mancipatione adiectae erant, ex ipsa lege XII tabularum insigni quadam ui et ualore gaudebant. Ipse Cicero[36])

„Ac de iure quidem praediorum", inquit, „sancitum apud nos est iure ciuili, ut in his uendendis uitia dicerentur, quae nota essent uenditori: nam cum ex XII tab. satis esset, ea praestari quae essent lingua nuncupata, quae qui infitiatus esset, dupli poenam subiret, ab IC^tis[37]) etiam reticentiae poena est constituta. Quidquid enim in praedio esset uitii, id statuerunt, si uenditor sciret, nisi nominatim dictum esset, praestari oportere."

Haec quanquam non proprie primo intuitu ad seruitutes pertinere uideantur, quoniam, licet meliorem uel deteriorem conditionem dominii seruitutes faciant, tamen non uitia rei recte dicuntur: Cicero certe eam, qua de in fine cap. cit. agit, seruitutem quasi uitium rei spectare uidetur:

---

emt. Perperam ex Fr. 86 cit. Cuiacius noua tria molitur iura praediorum: bonitatem, salubritatem, amplitudinem: quum similitudines tantum proponat Celsus Fr°. cit.

35) Veluti de modo („amplitudine") agrorum qui uendebant saepe cauebatur: Fr. 13 § 14. Fr. 2 de A. E. V. Fr. 40 § 2. Fr. 42 contr. emt.; uel: „aedes bene aedificatas esse" Fr. 43 contr. emt.

36) De officiis III. 16.

37) Animaduerte, quod lex XII tab. ICtorum latius eam interpretantium auctoritati opponitur.

„Manius Marius Gratidianus C. Sergio Auratae uendiderat aedes eas, quas ab eodem ipse paucis annis ante emerat. Hae seruiebant. Sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium est. Auratam Grassus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Grassus urgebat: quod uitii uenditor non dixisset sciens, id oportere praestari: aequitatem Antonius: quoniam id uitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas aedes uendidisset, nihil fuisse necesse dici: neque eum esse deceptum, qui id quod emerat, quo iure esset, teneret."

Hisce locis colligitur, quam anxie et circumscripte de seruitutibus, quas debebant et quae debebantur, in ipsis mancipandis praediis caueri solitum sit: nimirum ne emtor postea deceptum se esse, quia nescisset seruitutem impositam esse, conquereretur. Certis autem uerbis saepe — antiquitatem ipsam spirantibus — praedium liberum esse a seruitutibus uel seruiens significabatur. Atque etiam de quibusdam non satis consensisse ipsos ueteres suspicamur:

Fr. 75 de euictt. Venvleivs lib. XVI° stipul.: „Quod ad seruitutes praediorum attinet si tacite[38]) secutae sunt et uindicentur ab alio Qvintvs Mvcivs et Sabinvs existimant, uenditorem ob euictionem teneri non posse; nec enim euictionis nomine teneri quemquam in eo iure, quod tacite soleat accedere, nisi: Vt optimvs maximvsqve esset, fundus traditus fuerit, tunc enim liberum ab omni seruitute praestandum; si uero emtor petat uiam uel actum, uenditorem teneri non posse, nisi nominatim dixerit accessurum iter uel actum; tunc enim teneri eum qui ita dixerit. Et uera est Qvinti Mvcii sententia, ut qui op-

38) Hoc est: nihil emtorem inter et uenditorem nominatim cautum est de seruitutibus.

TIMVM MAXIMVMQVE fundum tradidit, liberum praestet, non etiam deberi alias seruitutes, nisi hoc specialiter ab eo concessum sit[39]).

Sed inueniuntur praeterea aliae quaedam formulae, quibus, cum plerumque generales et perfusoriae essent, dubium fuit, quid quantumue comprehenderetur cautumue esset? In iis autem diiudicandis sola ea, quae in emtione uenditione esse debet, bona fides quasi norma ab IC[tis] Romanis spectabatur, idque animaduertentibus quaedam, quae alioquin fortasse inter se pugnare uideantur, optimo concentu consonant. Quodsi recordamur VLPIANI[40]) uerba: — „omnia enim quae contra bonam fidem fiunt, ueniunt in emti actionem; — — et generaliter dixerim, si improbato more uersatus sit (sc. uenditor) in celanda seruitute, debere eum teneri": cognoscimus, non recte dari POMPONIO a STEVERO[41]) magnum „duritiei et inflexibilis toruitatis" opprobrium ideo, quia dicit: „Si cum seruitus uenditis praediis deberetur nec commemorauerit uenditor sed sciens esse reticuerit et ob id per ignorantiam rei emtor non utendo per statutum tempus eam seruitutem amiserit, quidam recte putant uenditorem teneri ex emto ob dolum"[42]). Nam dolum uenditoris POMPONIVS aperte requirit eumque certe ab emtore probandum. An statuamus ipsum non aliis modo IC[tis], sed etiam sibi POMPONIVM uno eodemque fragmento aperte contradixisse, cum idem paullo ante certum profiteatur: „In uendendo fundo quaedam —

39) Cf. Fr. 90 de V. S. Fr. 48 de euictt. Fr. 59 de contr. emtione. CICERO de leg. Agrar. III. 2: „Optimo iure profecto ea sunt praedia quae optima conditione sunt: libera meliore iure sunt, quam serua. Capite hoc omnia, quae seruiebant, non seruirent."

40) Fr. 1 de A. E. V.

41) De seruitutibus praediorum, p. 177.

42) F. 66 § 1 contr. emt.

ita demum praestanda sunt — si dicta sunt, ueluti uiam, iter, actum praestatum iri"?

Ex hisce omnibus consentaneum, nos in magna illa uirorum doctorum pugna, utrum uenditor, si de seruitutibus in contrahenda emtione omnino nil dictum sit, teneatur emtori postea seruitutibus emergentibus, ab eorum partibus stare, qui non solum non euictionis nomine, sed ne actione quidem quanti minoris teneri eum putant, dummodo ne dolose uersatus sit: quo loco liceat ad VANGEROVIVM[43]) prouocare, singulas quaestiones accurate persecutum.

Superest, ut dicamus, si quidem de seruitutibus cautum sit, sed uerba ipsa, quibus cauebatur, ambigua essent: primum spectatum esse ab ICtis Romanis, quid actum esset: deinde, si id non appareret, contra uenditorem eos interpretatos[44]). Hoc probatur et VLPIANO sic definiente:

Fr. 17 § 3 de S. P. V. Haec lex traditionis: STILLICIDIA VTI NVNC SVNT VT ITA SINT, hoc significat impositam uicinis necessitatem stillicidiorum excipiendorum, non illud, ut etiam emtor stillicidia suscipiat aedificiorum uicinorum.

Si enim de seruitutibus omnino in emtione uenditione praediorum cauebatur, nominatim debebat cauere uenditor de singulis uendito praedio impositis seruitutibus, non generaliter: quia alioquin facillimum fuisset, emtores decipere

---

43) Pandekten, tom. III § 610 p. 338 seqq. Iis, quos nobis consentire dicit VANGEROW, addendus. BEKKER, dissertatio inaugur. de euictione, Berolini 1849, p. 94 p. 52. — Nos mouent praeter eos, qui solent communiter citari nostrae sententiae documenta locos, etiam illa finalia supra citt. uerba CICERONIS: „Neque esse eum deceptum, qui id, quod emerat, quo iure esset, teneret."

44) Fr. 33 de contr. emt.

generali quadam clausula proposita[45]). Hac igitur ratione non solum constitutum est ut hac cautione: QVIBVS EST SERVITVS VTIQVE EST sibi nullas seruitutes uenditor recipere posset[46]), sed etiam illud obtinuit, ut si formula perfusoria; SERVITVTES SI QVAE DEBENTVR, DEBEBVNTVR usus esset, nec nominatim singulas indixisset, ex emto teneretur[47]).

INTERPRETATIO FR[i] 6. COMM. PRAED.

Cap. V. Iam in eo sumus, ut ad principium Fr[i] 6 fronti huius disputationis praefixi interpretandum possimus aggredi. Cuius quidem uerba in haec concepta sunt:

VLPIANVS libro XXVIII° ad SABINVM. „Si quis duas aedes habeat et alteras tradat, potest legem traditioni dicere, ut uel istae quae non traduntur seruae sint his quae traduntur uel contra, ut traditae retentis aedibus seruiant; paruique refert uicinae sint ambae aedes an non. Idem erit et in praediis rusticis, nam et si quis duos fundos habeat, alium alii potest seruum facere tradendo. Duas autem aedes simul tradendo non potest efficere alteras alteris seruas, quia neque acquirere alienis aedibus seruitutem neque imponere potest."

Quae igitur primis uerbis continentur, ex eis, quae superiore parte disputationis tractauimus, satis clara sunt:

---

45) Fr. 39 de pact. Fr. 21 contr. emt. Fr. 172 de R. I.
46) Fr. 10 comm. praed.
47) Fr. 39 de A. E. V.

posse eum, qui duo praedia habeat, alterum tradendo uel, ut principio scriptum fuit ab Vlpiano, mancipando uel cedendo alteri seruum facere. Exhibere autem uidentur finalia huius principii uerba ingentes difficultates: quippe quo quae docentur fr° 8. eod. tit. aperte repugnent. Discrimen inde repetitur, quod Vlpianvs eum, qui duas aedes simul tradat, utique nequire alteras alteris seruas facere mancipando asserit, fr°· 8 autem:

„Si quum duas haberem insulas duobus eodem momento tradidero, uidendum est, an seruitus alterutris imposita ualeat, quia alienis quidem aedibus nec acquiri nec imponi seruitus potest; sed ante traditionem peractam suis magis acquirit uel imponit is qui tradit ideoque ualebit seruitus"

Pomponivs ante mancipationem uel cessionem in iure peractam posse eum seruitutem alterutris acquirere uel imponere disertis uerbis contendat. Subtilius puto quam felicius de hisce Cviacivs[48]), proxime quidem ad opinionem iam a Vivanio tvsco ad Accvrsii glossam proposita[49])

48) L. c. ad Fr. 6 interpretandum.

49) Ad Fr. 8 cit.: „Habebam duas domos: unam tibi aliam Titio uendidi: si imposui seruitutem, ut alienata seruiat alii alienatae domui, ualet: Si utraque simul: non possum neque ualet seruitus; Si diuersis temporibus, ut cum prius uendidi unam Titio et ei imposui, ut alii retentae seruiret, et illam retentam postea tibi uendidi, transibit ad te cum sua causa: et ualet seruitus et imponi potest. Vel dic quod eodem momento tibi et Titio tradidi uendidique, sed simul utrique non tradidi, sed diuersis temporibus: et imposui seruitutem alii, quam prius tradidi: ualet seruitus: immo et si simul uendiderit et tradiderit ualet seruitus: et ratio probatur in lege nostra." — Bartolvs haec notat: „Si duobus eodem momento fiat diuersarum rerum traditio, non ualet seruitus alteri imposita: secus si separatim traditur." (Editio Digesti ueteris, Lugduni apud Antonium Vincentium, MDXLI.). Perspicitur quamuis non eandem, at

accedens, sic argumentatur: „Aut simul“ inquit „aedes quis tradit aut separatim eodem tamen momento. Si simul tradat uel uni uel pluribus communi nomine ementibus: hoc casu alteras alteris seruas efficere non potest, ne uideatur alienis aedibus seruitutem acquirere. Quodsi separatim tradat eodem tamen momento, utputa uni unas, alteri alteras, hoc casu confestim potest alterutris aedibus seruitutem imponere uel acquirere, quia tunc uidetur suis aedibus acquirere, non alienis. Nam id facit ante peractas traditiones.“

Apparet, uerbum simul tradendi, quo utitur Vlpianvs, Cviacivm ita interpretari, quasi cogiterit Vlpianvs de duabus aedibus mancipandis pluribus, ita ut una formula ambae comprehenderentur (Has aedes nostras esse aimvs eaeqve nobis emtae svnt *rel.*) Sed hoc non cogitasse Vlpianvm aperto documento euinci potest. Talis enim formula condominos efficeret: iis autem nihil opus est seruitutibus in iis, quas communes habent, aedibus. Inde primum quidem hoc casu de seruitutibus constituendis non facile quisquam potest cogitare: deinde Vlpianvm de hoc casu non cogitasse egregie euincitur, quod, si cogitasset, documentum suae opinionis debebat adiicere: „quia nemini res sua seruit“, uel tale quid, non hoc: „quia alienis aedibus nec acquirere potest“ *rel.*

Parum igitur profecit Cviacivs nixus in eo, qui uerbo simul plerumque tribuitur, sensu [50]): nam nostro fragmento nil aliud eo uerbo significari, quam eodem momento

---

similem et ex iisdem principiis oriundam Cviacii sententiam in contextu laudatam esse.

50) Hoc usurpat id uerbum sensu Vlpianvs in fragmentis XIX. 6. Sed ne dubites uerbum „simul“ alias idem significare quod „eodem momento“ cf. fr. 77 de acq. uel. om. her.

mancipationem, separatim tamen duobus factam esse, ex supradictis satis in conspicuo esse uidetur. Idem igitur prorsus sit casus, consequitur, qui fr. 6, atque is, qui fr. 8 proponitur: nec distinctionibus ullus locus patefactus est.

Deinde et illud quod dicit CVIACIVS, si quis eodem momento duas aedes duobus separatim tradat, confestim posse eum alterutris seruitutem acquirere uel imponere, quia tunc uideatur suis aedibus acquirere, non alienis, non satis liquet. Equidem: cur omnino uideatur seruitutem acquirere? quaerendum maxime opinor. Requirit enim POMPONIVS ante traditionem (mancipationem) peractam seruitutem imponi: ante traditionem autem utrarumque aedium is, qui tradit, dominus adhuc est: ergo seruam alteram domum quominus alteri faciat, prohiberi uidetur ex regula: nemo sibi ipse debet seruitutem. Indeque ea principalis quaestio exoritur, is qui tradit, qua ex causa sit POMPONIO alterutris aedibus seruitutem nihilominus acquirere uel imponere posse uisus — quamuis utraeque suae adhuc sint.

Aliam uiam conciliandi nostri loci cum fr. 8 cit. ingressus est LVDOVICVS VITALIS[51]) docens, inferiori loco non de faciendis aedibus alteras alteris seruas agi, sed de imponenda seruitute uel acquirenda alterutris „non ex re sua (scil. uenditoris) sed ex aliena“. Atqui quamquam nil fere obstat, quominus is, qui uendidit aedes, antequam eas tradit, alterutras seruas faciat praedio tertii cuiuslibet[52]): illud, quomodo quis, quum duas aedes simul tradat, eo ipso quod tradit, eas seruas facere possit tertio cuidam uel iis seruitutem quaerere ex tertii cuiusdam

51) Lectt. uariar. in OTTONIS thesauro, tom. II. pag. 664 seq.
52) Cf. Fr. 6 § 3 nostrum.

praedio, non uideo. Superuenit interim et alia dubitatio: hunc casum si spectaret POMPONIVS, cur nominatim loqueretur de duabus aedibus tradendis, qui, si illud exprimere uoluisset, quod eum uoluisse putat VITALIS, satis habebat simplex exemplum posuisse tale, quo quis unas tantummodo aedes traderet.

Sed tertium refugium praeter haec duo a CVIACIO et VITALI commendata facile non datur. Si quis igitur pugnam illorum fragmentorum statuere omnimodo non uolet: ei alterutra illarum sententiarum quasi potior eligenda est. Et CVIACII quidem opinionem plus probabilitatis in se habere, quam illam VITALIS cuiuis elucet. Quamquam, qui CVIACIVM sequi uolet, eum semper necesse erit profiteri, VLPIANVM in fr° 6 non solum otiosam quandam et inutilem quaestionem proposuisse (quia non egent condomini seruitute), sed etiam ad suam sententiam confirmandam non eo argumento usum esse, quod omnium proximum esse maximeque illuc pertinere uideatur. Tale igitur VLPIANO omnium IC^torum Romanorum principi qui dare opprobrium non uereatur: recte illam Cuiacianam sibi persuadebit sententiam.

Mihi autem — quamquam idem de me praedicare licet, quod de se praedicat IACOBVS VOORDA[53]), nempe quod „hos, qui Pandectas adornarunt, pugnantia contra mandata principis sui eodem in titulo pagellaque eadem scripsisse, uix animum ut credam possum inducere" — tamen tutius uidetur hosce leuitatis, quam illum ineptiae arguisse. Ac inde consentio cum IACOBO VOORDA[54]) pugnare haec fragmenta inter se affirmante.

---

53) Emendatt. et interpretatt. iuris Romani; Traiecti ad Rhen. MDCCXXXV., caput XXXIIII.

54) Is quidem diuersis paullo principiis rationibusque atque nos. Pug-

Ac uerisimile est VLPIANO cum scriberet nostrum fragmentum 6, POMPONII illum locum praesto notamque illius diuersam sententiam fuisse: qui quidem inferiore parte fragmenti 6 POMPONII librum VIII^um ad SABINVM laudet — eundem ex quo POMPONII fr. 8 cit. desumtum est. Ac inde quis dixerit de industria VLPIANVM POMPONII sententiae refragatum esse.

Ceterum hanc rationem ineo. Nemo quidquam de ea quam alienaturus est, re excipere potest, nisi qui plenum rei imperium plenamque potestatem habet: nam postquam alienauit nullam rei legem dicere potest. Quandocunque igitur de recipiendis seruitutibus agitur, is, qui recipit, quaerit sibi seruitutem ex praedio, quod ipsius adhuc est uel, ut aliis uerbis utar, suum praedium facit seruum suo. Et hoc quum non obstare iudicaretur, quominus quis seruitutem sibi posset recipere: POMPONIVS etiam in duabus aedibus simul mancipandis uel cedendis in iure ante mancipationem uel cessionem peractam seruitutes inuicem a uenditore imponi posse putabat.

Sed uideamus an recte. Vt enim illud prius, posse in mancipandis unis aedibus alteris, quae retinentur, seruitutes recipi, a Romanis admitteretur, quamuis ea ratione eueniret, ut uno momento uideretur dominus suas aedes suis seruas facere, nil aliud faciebat, quam quod spectabant Romani tempus, in quod seruitus reciperetur, non id solum momentum, quo reciperetur. Altero autem casu hoc si tenemus reuera agitur, ut alienas aedes suis ipsius faciat seruas is, qui mancipat, quoniam has retenturus

---

nam statuere et ipsum PVTTMANNVM in Miscellan. apud SCHVLTINGIVM, Notae ad Dig. ad fr. 8 cit., inuenio: cuius libri copia mihi facta non est. Assentitur et ipse VANGEROW, Lehrbuch der Pandekten, editio VI a., I. p. 866.

illas alienaturus est, altero, ut alienis omnino aedibus seruitutes acquirat. Ex genuina igitur et uera ratiocinatione efficitur, altero casu quamuis in seruitutibus constituendis uideatur obstare regula: nemini rem suam seruire, ut reuera ea non obstet, altero, quamuis non putares primo intuitu uenire regulam: neminem alienis aedibus seruitutem acquirere uel imponere posse, ut ea regula nihilominus committatur utque propter eam hoc ipso casu seruitutes imponi nullo modo utiliter possint. Et haec uera esse satis liquet comparatione facta

Fr¹ 32 de S. P. V. Africanvs libr. XI° Quaestionum: Fundus mihi tecum communis est, partem tuam mihi tradidisti et ad eundem uiam per uicinum tuum proprium: recte eo modo seruitutem constitutam ait: neque quod dici soleat per partes neque acquiri neque imponi seruitutes posse, isto casu locum habere. Hic enim non per partem seruitutem acquiri, utpote cum in id tempus acquiratur, quo proprius meus fundus futurus sit".

Et ipso enim eo casu scrupulosa quadam quispiam diceret argumentatione, Africanvm seruitutem recte constitutam esse iudicantem peccare contra regulam: per partes seruitutes nec acquiri nec imponi posse. Ei occurrit Africanvs disertis uerbis docens: ualere seruitutem, quia in id tempus acquiratur, quo alterius solius totum praedium futurum sit. Spectandum igitur statuit esse tempus ipsum in quod, non quo seruitus acquiratur. Et haec est eadem ratio quam nos supra exhibuimus [55]).

---

55) Diceres forsan secundum eam rationem euenturam, ut, etiamsi quis duas aedes alienaturus separatim quidem sed continua actione duobus eas alienet, ita ut prius alteras mancipet seruitute ex eisdem recepta, statim deinde eas et ipsas, quibus

In summa igitur ab VLPIANI partibus standum esse putamus; cuius quidem sententiam noli duriorem quam quae ferri possit, credere: nam seruitutes, ut mancipandis simul ambis aedibus statim constitui nequeunt, ita ad eas constituendas uterque eorum, quibus aedes mancipantur, obligari sine ulla molestia poterit.

Cap. VI. Sed haec quidem omnia scripsimus praesumentes de mancipatione uel cessione in iure nostros VLPIANI ac POMPONII locos genuinos locutos esse. Videamus quid statuendum de locis, quales in Digesta recepti? Quod de mancipatione contendimus, simul mancipandi aedes uoce VLPIANVM non significare mancipationem taliter duobus factam, ut ii condomini rei, qua de agitur, efficiantur, idem de traditione quoque uerum esse facile intellegitur. Nam et hoc casu de seruitutibus constituendis omnino quaeri non potest. Immo si simul dicitur duarum aedium duobus traditio fieri, nil aliud significatur, quam traditio duarum aedium duobus forsan sic facta, ut uenditor dixerit: „tibi Titio has aedes trado, tibi Seio illas, recepta ex his seruitute stillicidii, ex illis seruitute tigni immittendi.“ Hoc casu autem, aliter atque in mancipatione aedium duarum simul facta, contenderim seruitutes recte et ualide receptas esse, quum eodem momento duae traditiones factae perspiciantur esse sic interpretandae, quasi altera post alteram facta sit. Traditio enim non est actus legitimus, nec quidquam eiusdem effectui officere potest, si for-

recepit, alii cuidam mancipet, locus sit regulae: alienis aedibus neminem nec acquirere nec imponere posse seruitutes. Nam et hoc casu agi, ut alienis aedibus uenditor acquirat seruitutem. Itaque seruitutem receptam non ualere. Atqui hoc non uerum, quia hoc casu non una est mancipatio, sed duo plane diuersae, quarum altera ad alteram nulla prorsus ratione referri potest.

tuito accidit, ut eodem momento, quo haec, etiam altera fiat traditio. In mancipatione autem et cessione in iure si una formula et actione duas mancipationes uel cessiones includere quis uult, non potest facere, quin eo ipso earum altera ad alteram referatur et effectus utriusque ex altera subinde pendeat. Contra in traditionibus praediorum duobus simul factis: in quibus POMPONII sententiam sequendam, nec minus recte seruitutes constitutas esse putamus, quam casu a nobis nota 53 proposito, quo post alteram factam mancipationem et seruitutem receptam altera quoque subsequitur.

SERVITVTES INVTILES AN RECIPI POSSINT?

Cap. VII. Transgrediamur nunc ad aliam quam quidam fr¹ 6 principio inesse putarunt difficultatem. Haesitarunt enim non pauci[56]) in uerbis: „paruique refert, uicinae sint ambae aedes an non“: indeque effici putant, plane aliud esse seruitutem retinere, quam alio modo constituere. Illud tam facile esse dixerunt, ut in constituenda retinendo seruitute non requirenda essent eadem, quae in aliis seruitutum constitutionibus. Non debere seruitutem receptam praedio dominanti utilitatem quandam afferre, non debere praedia, quibus reciperetur, uicina esse: quippe

56) THIBAVT, Ueber das Zurückbehalten unnützer Realservituten, in libro qui est inscriptus: Civilistische Abhandlungen, no. III. Assentitur ei GAEDKE, Dissert. ad L. L. 15—19 de seruitt.; ZIMMERN in: Krit. Zeitschrift für R. W. II. p. 408 seqq.; SCHRADER, civil. Abhandlungen, II. p. 324 seqq.

unicuique liberum esse, de iis, quae alienat, quiduis recipere, eximere, nihilque interesse, idne, quod recipiat, utile ipsi sit, necne. „Vicina esse debent“ crepant isti, „omnimodo praedia, quibus seruitus imponitur. Hoc casu VLPIANVS uicina debere esse negat; hoc casu de recipienda seruitute loquitur: ergo facilius seruitutem recipere quam alio modo constituere.“

Atqui plus probant, qui sic argumentantur, quam quantum probare debebant: quia proposito ab VLPIANO casu non solum de retinenda ex uenditis aedibus, sed etiam de acquirenda iisdem seruitute agitur: de qua idem illud: „parui referre uicinae sint ambae aedes necne“ praedicatur. Quodsi eorum sententiam sequeremur inde totum illud, quod desiderant ICti, utilitatis seruitutum moderamen nil aliud esset, quam inane, quod eos terreret, simulacrum, succo et sanguine carens. In quo ne illud quidem considerant, quod fragmento 19 de seruitt. (ei enim ad probandam sententiam uel maxime innituntur) non de recipienda aperte seruitute agitur, sed duntaxat imponi posse seruitutem dicatur. Quapropter fortasse et hoc loco plus quam debebant probauerint.

Sed totam hanc sententiam iam supra in dubium uocauimus, inde quod exceptio seruitutum in mancipandis uel in iure cedendis praediis apud Romanos erat peculiaris seruitutum et proprius constituendarum modus, non uulgaris pacti adiecti loco habebatur. Neque enim quod exciperetur aliquid, quidquid id esset, ex alienatione Romani solum cogitabant! sed quod seruitus constitueretur, ponderabant: quaeque ad constituendas seruitutes quocunque alio modo necessaria esse duxerunt, eadem requisiuerunt ad excipiendas seruitutes. Secundum illorum autem sententiam absurde factum esset ab VLPIANO et contra tenorem ipsius, quam proponeret, sententiae, ut cum prin-

cipio fragmenti 6 recipere seruitutem, et alio modo constituere aliud atque aliud esse dixerit, deinde statim paullo inferiori loco ad recipiendas aeque seruitutes atque ad alio modo utiliter constituendas diserte requirat, ne peccetur contra illam, quae de seruitutibus perhibetur, regulam: „per partes nec acquiri nec imponi seruitus potest[57]).

Cap. VIII. Verum quomodo nos illos, quos clamant ipsorum sententiae aperta documenta, locos interpretabimur? Quod antequam faciamus, paullo latius repetere operae uidetur esse pretium.

Omnium praedialium seruitutum ea natura est, ut praedii dominantis conditionem meliorem facere debeant: praedii, inquam, conditionem, non eius, qui nunc est, domini. Vtrum autem tales seruitutes sint, ut iis dominanti praedio mera utilitas comparetur (qualis saepe aquaeductus seruitus est ad irrigandos agros constituta) an tales, ut magis amoenitatem quam utilitatem respiciant: hoc nihil referre dico, dummodo et inferiore casu praedii ipsius meliorem conditionem faciant, non solius eius, qui nunc id tenet. Recte igitur dicit PAVLVS

Fr. 8 de seruitutt. „Vt pomum decerpere liceat, ut coenare, ut spatiari in alieno possimus, seruitus imponi non potest“[58]),

quia talis seruitus non ipsorum praediorum causam conditionemque meliorem factura, sed ut multum concedamus, eius, qui nunc est, domini otiosae uoluptati inseruitura est. Rursus ex contrario quin aquaeductus amoenitatis causa, non tantum ad irrigandos agros, constitui posset, IC[ti] Romani nunquam dubitauerunt: neque ipsam seruitutem, ne prospectui officeretur, non admiserunt, ideo quia

---

57) Vide infra Cap. X—XIII hujus disput.

58) Fr. 15 de seruitt.

ad iucunditatem magis, quam ad utilitatem et necessitatem comparata esset: nam quiuis praedii dominus id emolumentum sensurus est, non solus is, qui nunc praedium tenet. Vtilitatis ergo moderamen totum sic definio, ut neminem dicam seruitute praediali ulla uti debere, nisi qui tanquam dominus praedii, cui seruitus debetur, ac nullam aliam ob causam, quam quod dominus eiusdem est, ea utatur [59]). Pomum decerpere, spatiari nemo potest tanquam dominus praedii dominantis, aquam amoenitatis causa ducere potest. Iure igitur ciuili uetere qui putant [60]) amoenitatis causa constitutas non ualuisse, sed posterioribus demum temporibus omnis generis luxuria magis magisque gliscente tacito quasi consensu receptas esse: seruitutum quae sit natura, non recte intellexisse uidentur ac ius uetus ciuile plus quam crudele fuisse fingunt. Immo hoc puto omnibus temporibus principium, ex quo orirentur Romani, fuisse, ut requirerent, dominantis ipsius praedii conditionem ut meliorem seruitus faceret [61]): quae quomodo uel qua ratione meliorem faceret, nil fere curabant.

Ex illa igitur regula, quod praedii ipsius meliorem facere debet conditionem seruitus, nobis quoque oriundum erit, quando de seruitutibus iudicandum est. Fieri autem non potest, ut ulla praedii dominantis conditionem serui-

---

59) Nec tamen ideo praedia ipsa personae uicem sustinere contenderim, ut contendit Boecking Pandekten des röm. Privatrechts § 62. Quid sit, quod dicunt ICti Romani praediis ipsis deberi seruitutes, recte eruisse uidetur Brinz, Pandekten § 49, § 69.

60) Gerh. Noodt, Probabil. lib. I cap. II; occurrit Thibavt Versuche über einzelne Theile der Theorie des Rechts, dissertatio I. Voet, Comment. ad Pandect. II. p. 525 seq. Stryker, de seruitutt. praedior. c. II § 2.

61) Cf. Fr. 6 § 1 De S. P. R. Fr. 23 § 2 eod. Fr. 81 § 1 contr. emt.

tus meliorem faciat, nisi praedia „uicina sint“. Vicina autem cum dico, non contiguitatem necessariam dico sed sit, requiro, eiusmodi omnino situs eorum, ut alterum alteri omnino seruire intelligi possit, et, si seruiat, eo ipso, quod seruit, conditionem alterius meliorem faciat. Ea regula duae positiones continentur, quarum utraque ponderanda. Altera ea, quod singularum seruitutum natura mirum quantum diuersa est; ita ut earum quaedam uel mediis quibusdam praediis, quae non seruiant, inter duo praedia, quibus de agitur seruis inuicem faciendis, positis, uel longiori inter ea praedia intercedente spatio omnino constitui posse intellegi nequeant, quaedam possint; altera, quod, etiamsi possit secundum eius naturam praediorumque, quibus de agitur, conditionem atque situm de seruitute constituenda omnino cogitari: tamen seruitus constitui non potest, nisi eo ipso, quod constituitur, dominantis praedii conditionem meliorem faciat. Ad has igitur quaestiones, an seruitus constitui omnino possit, atque an constituta meliorem conditionem praedii dominantis factura sit, uarie secundum speciem seruitutis qua de agitur et secundum facti speciem respondendum erit. Exemplis monstrabo. Non absurdum est, praedium, quod longe ab alio distat, illi seruitutem cretae eximendae debere: atqui, si domino praedii dominantis facilius sit, cretam ex uicino quaerere loco, quam ex remoto seruiente praedio in suum transportare: neque utilis seruitus, neque erunt praedia uicina eo sensu, quo nos uicina sint necesse esse putamus [62]). Vel contra: facile aedes longe remo-

62) Intellegitur quomodo Fr 5 de S. P. R. uerba: „nisi qui fundum uicinum habeat“ interpretanda sint. Primarium est, ut fundum is, qui seruitutem acquisiturus est, habeat: alterum, ut ne remotior is fundus sit, quam ut domino seruitutis seruitute uti expediat.

tae [63]) ab alteris quibusdam illis seruitutem debebunt, ne prospectui officiatur. Interim si in intermedio spatio liberas suas aedes altius quis extollit, quam ut aedes, quae seruitutem debebant, ex dominanti praedio conspici possint: seruitus impedietur [64]). Similique modo quaedam seruitutes impediuntur loco publico uel uia uel flumine interueniente, quaedam non impediuntur [65]): quaedam contiguitatem praediorum requirunt, quaedam non requirunt. Ex hisce omnibus apparet, si generalis illa proponatur regula: debere praedia uicina esse, ea regula non prohiberi, quominus praedia etiam non proxima seruitutem sibi debeant. Immo potius id sibi uult illa regula, ut quoque casu proposito diligenter examinamus, primum quidem, an talis sit seruitus, ut proposita facti specie omnino constitui possit, an non mediis praediis uel loco publico uel longiori spatio, quo distent praedia, impediatur: deinde si cognouerimus, ex hac parte nil obstare, quominus constituatur, perpendeamus, an praedii dominantis conditionem re uera seruitus meliorem factura sit. Id quoque si constabit, recte praedia uicina esse dicemus.

Cap. IX. Haec postquam exposuimus, interpretatione illorum uerborum: „paruique refert, uicinae sint ambae aedes an non", uix eget. Cuiuis enim primo statim intuitu sponte elucescit, hoc loco uicinitatis uerbo intellegi contiguitatem, quo quidem sensu id uerbum saepe, praesertim si de urbanis praediis agatur, usurpatur [66]). Dicit

---

63) Fr. 1 pr., Fr. 25 § 1, Fr. 29, Fr. 38 de S. P. V. Fr. 4 § 11 fin. regund.

64) Fr. 4 § 8 si seru. uind. Fr. 5 Fr. 6 pr. eod.

65) Fr. 14 § 2 de seruit. Fr. 1 de S. P. V. Fr. 38 de S. P. R.

66) Fr. 4 § 10 fin. regund. Hoc iudicium locum habet in confinio praediorum rusticorum: urbanorum displicuit: neque enim

nimirum VLPIANVS, debere aedes non contiguas esse, ita ut pariete communi iungantur. Hoc enim casu fere semper alterae alterius seruitute quacunque indigent. Sed nostro casu, quia ante unius domini fuerant utraeque, neutrae alteris seruire poterant. Atqui ex alteris fortasse in alteras tignum immissum habuerat dominus uel stillicidium immissum: iam si alteras uendit, stillicidii uel tigni immittendi seruitus constituatur prorsus necesse est. Inde illa uerba: „paruique refert“ *rel.* VLPIANVS addit, ueritus, ne quis putet, posse dominum nullas alias seruitutes tradendis alteris aedibus constituere, nisi quae omnino ad aedes, quo statu antea erant, conseruandas necessariae sint, siue quas alterae aedes, antequam uendidit, iure dominii de facto — ut liceat hoc uerbo uti — iam passae sint. In summa igitur eo tendit illis uerbis VLPIANVS, ut ostendat, posse dominum non solum seruitutem tigni immittendi et similes tradendis alteris ex contiguis duabus, quas habet, aedibus: sed etiam alias quascunque seruitutes, si non contiguae sint aedes utraeque, magis quidem ad amoenitatem spectantes (quales solent esse ne prospectui officiatur, aquaeductus, altius non tollendi) seruitutes, recte excipere. Quodsi haec omnia, ut opinor, ueritati proxima sunt: non difficultatem illa finalia principii Fr[i] 6 nostri uerba exhibent, sed optimo concentu cum omnibus hucusque expositis congruunt.

Alter uero locus quem istius sententiae a nobis refutandae auctores afferunt is est:

Fr. 19 de seruitt. LABEO libr. IIII° Posteriorum a IAVOLENO epit.

---

confines hi sed magis uicini dicuntur et ea communibus parietibus plerumque disterminantur. Cf. VLPIANVS, XIX. 16. GAIVS III. 42 Fr. 33 de S. P. V. E contrario: Fr. 7 § 5 de A. R. D. Fr. 5 de S. P. V.

„Ei fundo quem quis uendat, seruitutem imponi, etsi non utilis sit, posse existimo; ueluti si aquam alicui dedere ducere non expediret, nihilominus constitui ea seruitus possit: quaedam enim debere habere possumus, quamuis ea nobis utilia non sunt."

Ad dirimendam, quae ei possit uideri inesse, difficultatem glossa[67]) utitur illo GAIANO: „In traditionibus rerum quodcunque pactum est, id ualere manifestissimum est"[68]). Sed equidem puto hisce GAIVM nil aliud dicere uoluisse, quam pacta traditionibus[69]) adiecta ex ipsis traditionibus uim ac ualorem accipere: ex quo efficitur, ut, si ea pacta contra rationem iuris facta sint, non magis ualeant, quam ipsa traditio contra ius facta. Iuris autem certissima regula est, seruitutem inutilem constitui nequire: ergo ille locus nil fere probare uidetur.

Atqui ueram, ut mihi uidetur, sententiam iam BARTOLVS[70]) profitetur:

„Potest imponi seruitus de eo, quod non interest tunc, sed speratur interesse in futurum."

---

67) Ad Fr. 15 de seruitt.

68) Fr. 48 de pactis.

69) Vtrum de mancipatione uel in iure cessione illud GAIVS ipse dixerit, an sicut in Dis scriptum est, de traditione, hodie certo diiudicari non potest: aliter atque si specialiter scriptum esset: „seruitutes pacto adiecto in traditionibus rerum constitutas ualere." Tunc enim quoniam GAII temporibus seruitutes in traditione praediorum ciuiliter recipi uel imponi non potuisse constat: recte colligeremus GAIVM ipsum de mancipatione uel in iure cessione locutum esse.

70) Ad Fr. 19 cit. in edit. Di ueteris supra laudata. Consentiunt MERILLIVS ad Fr. 19 cit. in OTTONIS thes. III. p. 663. 654. ZACHARIAE in HVGONIS civ. Magazin II. p. 334. GLVECK, Erl. der Pand. tom. IX p. 13. VANGEROW, l. c., § 338 p. 790 seqq. DIRKSEN, l. c., p. 113.

Nam quod praecipuum contra eam affert documentum THIBAVT, niti eam duntaxat eo, quod IAVOLENVS uerbum „nobis“ posuerit, hoc autem clarissimum esse nullam aliam ob causam eum posuisse, quam quia antea paullo dixisset: „quaedam enim habere possumus“: hoc inquiam argumentum falsum est, quia nostrae sententiae fundamentum est non tam, quod omnino posuit IAVOLENVS uerbum „nobis“, quam quod eo loco posuit, quo posuit. Quiuis enim latinitatis non sane expers statim sentiet si dicat: „quamuis ea nobis utilia non sunt“ pondus ac uim esse in uerbo „nobis“, aliter atque si dixisset: „quamuis utilia nobis non sunt.“

BARTOLI autem sententiam ueram esse facile perspicitur exemplo proposito. Ponamus uenditorem aquaeductum — de hac enim seruitute hoc loco agitur — in hortum suum sibi recepisse, ea aqua omnino non usurus: certum est eam seruitutem utilem nunc non esse. Sed idem aquaeductus forsan utilis ei erit, qui ex horto dominus agrum faciet eoque aquaeductu ad agrum irrigandum utetur. Causam igitur et facultatem utilitatis futurae in se habet aquaeductus, quamuis ea utilitate is, qui tunc est, dominus, nescio qua ex causa ipse uti non uult. Inde quamuis ei, qui tunc est dominus, utilis ea seruitus non sit, tamen intellegitur, quia quondam utilis esse poterit alii domino, praedium, cui acquiritur, ipsum pretiosius facere.

Praeterea hac ratione, quod quidem satis eleganter monet VANGEROW, intellegitur, cur hunc casum potissimum IAVOLENVS proponat, quo alteri retento praedio seruitus ex altero uendito acquiritur? Alioquin enim, nisi necessitate urgente, seruitutem nobis facile ab altero non quaeremus: quia hanc is nobis plerumque non gratis concedet, et eam rem, qua nunc non egemus quamque sine impensis

nobis paraturi non sumus, malumus tunc demum parare, cum ea nobis opus erit [71]). Aliter plane si uendimus praedium: hoc casu libenter facimus, ut casibus quibuslibet quondam futuris prospiciamus cautumque uelimus: propterea quod rei adhuc plenam potestatem habemus indeque facili negotio et sine impensis idem nobis ius quaesituri sumus, quod, nisi nunc re integra quaerimus, nobis forsan uel iis, qui in praedium nostrum succedent, quondam cum impensis parandum erit: ut breuiter dicamus, quod hoc modo facillime praedii retenti nostri pretium aucturi sumus. Inde autem perspicitur, CVIACII interpretationem Fr[i] 19 quamuis abnormius paullo expressam tamen non tam „ienunam" et absurdam uideri, quam uidetur esse clarissimo THIBAVT, ita ut uirum ingentis apud omnes IC[tos] auctoritatis dormitanti hoc loco Homero comparet. Plane enim eodem redeunt, quo nostra, quae dicit CVIACIVS: „Habere uerbum optumum est, ut PLAVTVS ait, non habere autem pessumum."

Iuxta eam tamen alteram sententiam, quam ut tutius fundaremus, modo dedimus operam, tertia inuenitur: commendata a GERHARDO NOODT [72]), a SCHVLTING [73]), et ut

71) Ceterum ne dubites, quin mihi ab altero etiam concedi seruitus possit, quae mihi nunc quidem non utilis est, sed, quoniam futura forsan utilis est, praedii mei pretium auget, hunc pone casum: media in urbe aream ego habeo, non tam locuples, ut aedificare in ea possim. Amicus quidam concedit mihi ad eam aream seruitutem altius non tollendi ex suis aedibus uicinis. Recte seruitutem constitutam opinor etsi mihi quidem non utilis sit: eadem namque fortasse heredibus meis uel ei, cui aream uendam, si quidem ii aedes in area exstructuri sunt, expediet uti. Argum. Fr. 10 de S. P. R.: „nam si liceat nondum aedificato aedificio seruitutem constituere".

72) Probabilium lib. I cap. II.

73) Notae ad Digesta ad Fr. 19 cit.

uidetur, a CORDO STEVER[74]), eo spectans: inutilem quidem seruitutem constitui nequire, sed putandum esse, dicere hoc loco IAVOLENVM nil aliud, quam inutilem seruitutem constitui nequire, sed posse amoenam. Quasi tam parcus uerborum IAVOLENVS putandus sit, ut piguisset èum ad uerba: „quamuis utilia non sint", addere: „sed ámoena" uel simile quid. Ac ne illud quidem istius sententiae auctores animaduertunt, quod IAVOLENVS eodem fragmento dicit: „ueluti si aquam alicui dedere ducere non expediret", expedire autem non solum quod utile, sed etiam quod amoenum magis et iucundum est dicitur [75]). Denique quod grauissimum est: hos qui hanc sententiam sequuntur si quaereres, cur potissimum eum casum IAVOLENVS proponat, quo dominus ei fundo, quem uendit, seruitutem imponit: sane obmutescerent. Nam seruitutes, quae amoenitatem tantum respiciunt, non solum recipi sed et alio modo constitui potuisse ipsi acriter contendunt. De reliquis autem sententiis ad Fr. 19 interpretandum prolatis a GAEDKE, HVFELAND, GOLDSCHMIDT plus minus a Thibautiania digredientibus, ne iusto longius in re, ut uidetur, parum dubia uersemur, prouocamus ad VANGEROVIVM l. c. De quarum singulis quid nos sentiamus ex eis quae supra exhibuimus sponte colliges.

REGVLA SERVITVTES INDIVIDVAS ESSE QVANTVM AD REM EST ILLVSTRATVR.

Cap. X. In certissimam et antiquissimam iuris regulam hoc loco ducimur: seruitutes praediorum, aliter atque

74) L. c. caput II § 2.

75) cf. DICKSEN, Manuale s. u. expedire.

[illegible] [76]). Quippe
[illegible] et omnes
[illegible] deberi [77])
[illegible] autem prae-
[illegible] in plurium
[illegible] uel utrius-
[illegible] quae a prae-
[illegible] domini esse

[illegible] nem serui-
[illegible] em spectes,
[illegible] que domi-
[illegible] r: tota uti-
[illegible] eri intelle-
[illegible] tis non sit.
[illegible] n debet. Et
[illegible] a seruitutes
[illegible] eorum indi-
[illegible] b uno prae-
[illegible] quid uenire
[illegible] tota serui-
[illegible] er suo iure

[illegible] consequitur

[illegible] amitt. Frag-
[illegible] ad quod cf.

[illegible] l. c. §. 340
[illegible] locos illic citt.

necessario, ut seruitutum partes ne fingi quidem animo possint: ac inde ratio perspicitur illarum, quae perhibentur, regularum, prioris: „pro parte nec acquiri nec imponi seruitutes posse [81]);" alterae: „pro parte seruitutes retineri [82])." Iis quum ad interpretandas plures paragraphos nostri fragmenti innitendum sit: prius harum uerba proponamus, deinde illae regulae huc cadentes quomodo moderandae sint, edocebimus.

§. 1. „Si quis partem aedium tradet uel partem fundi, non potest seruitutem imponere, quia per partes seruitus imponi non potest sed nec acquiri. Plane si diuisit fundum regionibus et sic partem tradidit pro diuiso, potest alterutri seruitutem imponere, quia non est pars fundi, sed fundus. Quod et in aedibus potest dici, si dominus pariete medio aedificato unam domum in duas diuiserit, ut plerique faciunt: nam et hic pro duabus domibus accipi debet. §. 2. Item si duo homines binas aedes communes habeamus simul tradendo idem efficere possumus ac si ego solus proprias binas aedes haberem. Sed etsi separatim tradiderimus, idem fiet, sic tamen, ut nouissima traditio efficiat etiam praecedentem efficacem. §. 3. Si tamen alterae unius propriae sint aedes alterae communes neutris seruitutem uel acquirere uel imponere me posse [83]) POMPONIVS libro VIII° ex SABINO scribit."

Et primum quidem quod pro parte nec imponi nec acquiri seruitus potest ex hisce effici uidetur. Si solus ei praedio, quod commune cum altero quodam habeo, seruitutem acquirere uelim: non plus mihi concederes, quam ut ei parti pro indiuiso, quam ipse habeo, seruitu-

---

81) Fr. 11 de seruitt. Fr. 22 de S. P. R. Fr. 3 Fr. 7 de seru. leg.

82) Fr. 72 Fr. 140 § 2 de V. O. Fr. 30 § 1 de S. P. V.

83) HALOANDER: non posse. Sed non recedendum a Florentina.

tem acquirere possim: sed, ut supra diximus, nisi totae seruitutes esse non intelleguntur neque nisi totius fundi: ergo ego solus ex sociis acquirere communi fundo seruitutem nullo modo possum. Atque similiter ne tum quidem, si ego proprias solus aedes habeo, tu earum aedium partem quandam pro indiuiso a me emturus, eoque modo in communionem mecum uenturus sis — qui quidem casus §° 1 interpretanda continetur — seruitus ulla in tradenda ea parte constitui poterit. Nam nisi toti praedio seruitus constitui non potest, indeque praeterea, si admitteres seruitutis constitutionem, id absurdum consecuturum esset, ut mihi ipsi pro parte mea seruitutem constituerem.

Sed uides, nos si de parte loquamur partis appellatione partem pro indiuiso dicere. Partem enim pro diuiso proprie partem non esse, sed partem tamen appellari ob eam causam, quod antequam diuideretur pars fuit, non quod pars adhuc est: hoc bene ICtos Romanos intellexisse ex nostra §° 1 patet. Nam propter id ipsum quod pars pro diuiso totum est et per se extans: ideo VLPIANVS statuit eum, qui fundum regionibus aut aedes pariete medio aedificato diuiserit et partium inde effectarum pro diuiso alteram tradat, recte seruitutem constituturum; quia tunc iam non per partes acquiri uideatur seruitus, sed utraque pars unarum aedium loco habenda sit. Quod quidem tam clarum per se est, ut miretur fortassis quispiam, quomodo tandem VLPIANVS ad ea exponenda ductus sit? Sed uidentur ICti Romani non certa quadam et constanti ratione partis nomen ususpare soliti esse, immo disceptasse, utrum qui partem diceret, partem pro indiuiso intellegendus esset dixisse, an etiam partem pro diuiso partem adhuc dicere liceret.

Fr. 25 §. 1 de V. S.

„QVINTVS MVCIVS ait partis appellatione rem pro indiuiso

significari: nam quod pro diuiso nostrum sit, id non partem sed totum nostrum esse. SERVIVS non ineleganter partis appellatione utrumque significari.“

Qua in controuersia SERVII SVLPICII RVFI sententia praeualuisse uidetur, ita ut nobis non raro, quando de partibus IC^ti Romani loquuntur, diligenter sit perpendendum, utrum pro diuiso an pro indiuiso partes intellegant. Quocirca ne quidquam dubii relinqueret, accuratiore, quam opus esse uideretur, in §° 1 nostri fragmenti expositione usus est VLPIANVS.

Ceterum ex illo fr. 25 c. rem cognoscimus sine illo sane obscuram futuram: IC^tos Romanos plurimos, ut de partibus fundi ac de communione fundi loquerentur, etiamsi is inter eos, qui socii fuerant, diuisus esset, eo praecipue ductos esse, quod, licet tunc fundus diuisus esset, tamen unum fundum antea fuisse, quam tunc diuisum esse, magis spectabant. Nec parum huc fecisse uidetur, quod fundi propriis plerumque nominibus appellabantur certisque determinabantur finibus, quodque nec illa nomina nec illos fines statim, si diuidebatur regionibus fundus, sublata prorsus esse consentaneum est. Quamuis igitur, qui communem habuerant fundum, eum iamdudum diuiserant: tamen pro sociis et post diuisionem habiti esse uidentur. Et recte quidem nonnullis fortasse casibus: nam eos, qui communem fundum regionibus diuidunt, non semper praesumendum est ab omni communione iuris discedere uelle. Etenim saepe id agunt, ut dominium quidem fundi quale adhuc habuerant pro indiuiso retineant: sed ipsius dominii usum et fructus, quum nolint in commune fundum colere, inter se pacto diuidant. Rursus e contrario saepe eueniet, ut contrarium diuidendo fundo regionibus agant uelintque ipsum dominium fundi diuidere: quo et ipso casu — quamuis eo certissimum est, socios proprie eos,

qui fuerant, esse desiisse, ut primum aut manciparint partes fundi aut cesserint in iure aut nouissimo certe iure tradiderint inuicem — non raro totum, quem ante habuerant pro indiuiso communem, etiam nunc — pro diuiso — communem fundum habere dicti esse uidentur [84]).

Cap. XI. Iam ut reuertamur ad id, quod supra diximus, unum ex sociis communi praedio seruitutem nullam acquirere posse: eo ipso dictum est, omnes socios simul seruitutem constituentes utiliter eam constituere. Itaque si duo socii, binas aedes qui communes habent, alteras earum simul praesentes tradunt, nil fere obstat, quominus tradito praedio seruitutem utiliter iniungant. „Idem enim simul efficere possumus ac si ego solus proprias binas aedes haberem.“ Sed requirebat uitae quotidianae usus ac ipsa necessitas, ut plurium eiusdem praedii sociorum singulis communi praedio seruitutem etiam separatim, si modo ceteri consentirent, acquirere uel imponere liceret, quum, quominus omnes simul ad seruitutem aliquam constituendam adessent, multis rebus saepe impedirentur. Non tamen ideo ab antiqua regula: „Pro parte nec acquiri nec imponi seruitus potest“, recedi poterat. Verumtamen ab altera parte neque intellegi poterat is, qui primus cessisset uel acquisiuisset seruitutem, sub conditione ea eam cessisse uel acquisiuisse, ut reliqui quoque condomini cederent acquirerentue: quia nolebant Romani conditionem in seruitute constituenda admittere [85]). Quae

84) Cf. arg. Fr. 6 quemadm. seruitt. amitt. et ad id CVIACIVM l. c.; Fr. 43 pr. de poss. Fr. 29 de A. R. D. Fr. 5 §. 16 de reb. eor. SAVIGNY, System, I. § 29 not. c, § 30 p. 313 seqq. WAECHTER, über Theilung und Theilbarkeit der Sachen und Rechte in: Civ. Archiv, tom. XXVII. p. 177 seqq.

85) Fr. 4 de seruit. Cf. tamen VANGEROW, l. c. § 340 p. 809.

cum ita essent, id remedium inuentum est, ut, si singuli deinceps communis praedii socii seruitutem cessissent uel acquisiuissent, nouissima demum cessione uel acquisitione superiores omnes confirmarentur. Vt igitur quisque sociorum cessit uel ut cuique cessum est, pendet effectus cessionis donec ultima cessio priores etiam efficaces faciat [86]). Fictione igitur diceres hoc loco ICtos Romanos usos: ea uidelicet, ut fingerent ultima cessione facta omnes superiores eodem momento factas esse. Ex eo tamen ipso, quod conditionem aspernati malunt fictione uti, non exigua sane nec leuia consequuntur: quae quidem PAVLLVS satis eleganter exponit in Fr° ult. comm. praed. Ad quod cum CVIACIVS optume commentatus sit: ad hunc prouocare liceat. Vnum addamus: quod enim ad uerba: „tantum tempus iis remissum est, quo dare facere possunt, uel diuersis temporibus possint" *rel.* ille notat: „Ratio obscura": quid sit obscurum non uideo. Quae uerba egregie interpretatur POTHIER [87]) in hunc modum: „Remittitur tantum simultaneitas temporis: permittiturque, ut uel diuersis temporibus possint interuenire cessionum actus, quia haec diuersa tempora coniunguntur. At nihilominus oportet, ut possint intellegi simul cedere; nec permittitur ut uel unus cedere uel uni cedi possit" [88]). Conueniunt haec iis, quae nos supra statuimus: fingi eo casu omnes eodem momento cessisse: non tamen tam ualida ea fictio est neque tam late patet, ut ii, qui, antequam nouissimus cessit, uel mortui sunt uel rei de qua agitur domini esse

---

86) Interim tamen „benignius dicetur et antequam nouissimus cesserit eos qui antea cesserunt uetare uti cesso iure non posse", (CELSVS in Fr. 11 de S. P. R.).

87) Iust. Pand. tit. de seruitt. § III. 29 not. 6.

88) Cf. GLVECK, Erl. der Pand. in emendatt. et additt. ad tom. IX.

desierunt, illo tempore quo ultimus cedit cessisse possint intellegi. Idemque est si eorum, quibus ceditur, uni ante efficaces factas ultima cessione priores cessiones tale quid acciderit.

Cap. XII. Et ipsam regulam: „Pro parte nec acquiri nec imponi seruitutes posse“ facere, ut: „si alterae unius propriae sint aedes, alterae communes, neutris uel acquirere uel imponere seruitutem possim“, nunc probandum est. Sed caue, ne haec duo praetermittas: alterum, quod VLPIANVS de faciendis inuicem seruis aedibus in alteris tradendis loqui putandus est, alterum quod diserte dicit: „me non posse“, non: nos non posse. Nam quin ego meis solius propriis aedibus ex quocunque tertii praedio seruitutem quaerere possim, quamuis et alias idem aedes habeo communes cum altero quodam: hoc nemo dubitat. His demum finibus circumscripta illa uerba: „si alterae unius propriae“ *rel.* uera esse et manare ex regula: pro parte nec imponi nec acquiri posse seruitutes contendimus. Tale igitur quid VLPIANVS cogitat: Vendo ego meas proprias aedes: iis seruitutem imponere uolo, ut seruiant retentis aliis a me aedibus communibus cum altero quodam; uel earum communium aedium seruitutem uenditis accessuram dixi; uel meam partem pro indiuiso communium aedium uendens seruitutem recepturus sum pro meis solius propriis aedibus, quas retineo: nil horum omnium consequi potero. At si ambo socii communes aedes uendamus: aedibus iis, quas inter nos communes retinemus, recte seruitutem recepturi sumus. Verum finge in communibus a sociis uendendis aedibus utrumque uelle suis, quas retinet, solius propriis aedibus seruitutem recipere uelle: plusculum dubitationis res habet. Sed magis est, ut recipere possint, quia hoc casu, ut ex §° 2 nostri Fr[i] elucet, pro una duo tradentes persona habentur, neque regula locum habet:

6

pro parte seruitutes acquiri non posse, quia in id tempus acquiruntur, quo emtoris solius propriae aedes futurae sunt [89]).

Cap. XIII. Sed notat Schvlting ad hanc, de qua exposuimus, paragraphum fragmenti nostri: opponi ei paragrapho Fr. 27, Fr. 34 de S. P. R: perperam, ut nunc monstrandum est:

Nam ut ad alteram quam posuimus illustrandam regulam aggrediamur, distinguendum est, utrum constituatur omnino principio seruitus, an uero de iam constituta conseruanda agatur: illud difficilius, hoc facilius esse ex eadem illa, quam originem huius doctrinae diximus, regula: „seruitutes diuisionem non admittere", necessario emanat.

Nam si ego eius praedii, quod mihi seruiebat, pro parte nescio quota socius esse coepero, pro ea parte seruitutem confundi necesse esset: sed nisi totae seruitutes esse non intelleguntur: inde totam retineri IC^ti Romani statuerunt. Atque huc cadit, quod dicit Papinianvs: „Non est nouum ut quae semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt [90]).

Omnino autem hanc regulam per partes seruitutes retineri apparet cum nostra §° 3 Fr^i 6 nostri minime pugnare. Inde uix quidquam dubii hac in re relictum esset, nisi ipsum quod citat Schvlting Fr. 27 de S. P. R. Fr° 34 eod. contrarium aliquatenus esse uideretur.

Fr. 34 de S. P. R. Papiniani: „Vnus ex sociis fundi communis permittendo ius esse ire agere nil agit et ideo, si duo praedia, quae mutuo seruiebant, inter eosdem fue-

---

89) Arg. Fr. 32 de S. P. R.

90) Fr. 85 § 1 de R. I.

rint communicata, quoniam seruitutes pro parte retineri placet, ab altero seruitus alteri remitti non potest: quamuis enim unusquisque sociorum solus sit, cui seruitus debetur, tamen, quoniam non personae, sed praedia deberent, neque acquiri libertas neque remitti seruitus per partem poterit."

Ponit principio PAPINIANVS regulam nobis iam cognitam, unum ex sociis fundi communis neque acquirere neque imponere seruitutem posse. Eam illustraturus est. Et quidem hoc utitur exemplo: Duo praedia alterum Titii, alterum Seii, quae mutuo seruiebant, inter eosdem (dicit nimirum Titium Seiumque, quorum uterque antea alterum praediorum solus habuerat) communicata sunt: hoc est Titius partem nescio quam praedii Seiani, Seius partem Titiani nactus est [91]). Retinuerunt igitur suum quisque praedium: id tantum mutatum de pristino statu, quod pars quaedam praedii, quale ante fuerat, utrique ademta est, atque ad alterum peruenit. Hoc casu retinebuntur seruitutes cum ipso praedio, quod uterque, licet ad certam partem deminutum, retinet. Nam licet ostendat PAPINIANVS utrumque praedium totum commune effici eo, quod uterque alterius partem nactus est: hoc nil aliud significaturus est, quam illam, de qua supra [92]) egimus, „communionem pro diuiso". Quod si nobis persuademus, illud quoque optime quadrat, quod dicit, praedia ipsa debere seruitutem: illae enim ipsae partes praediorum eo, quod

91) Non tota praedia communia effici, sed partes tantum quasdam eorum, significatur uerbo: „communicandi": communicari enim dicimus maxime, quod non totum sed cuius particulum quoddam commune efficitur. Vide FORCELLINI, Latin. lex. s. h. u. Huc etiam pertinent ICti uerba: „per partem", „pro parte".

92) Cap. X. 1, f.

inuicem communicantur, non fundi per se extantes statim effici: sed utrumque praedium, licet pro diuiso pars quoad dominium eius ab eo auulsa sit, tamen eam partem quoad intellectum ipsius praedii etiamnunc continere cogitantur. Inde ab altera parte communio inter dominos existere — pro diuiso — proponitur: ab altera ipsa praedia, qualia ante fuerant, retinere seruitutes.

Alius plane casus Fr° 27 eod. comprehenditur:

Ivlianvs libro VII° Digestorum:

„Si communi fundo meo et tuo seruiat fundus Sempronianus et eundem in commune redemerimus, seruitus extinguitur, quia par utriusque domini ius in utroque fundo esse incipit. At si proprio meo et proprio tuo idem seruiat, manebit seruitus, quia proprio fundo per communem seruitus deberi potest".

Nam hoc casu „par utriusque domini in utroque fundo ius esse incipit", aliter atque in specie facti Fr° 34 cit. proposita. Redimunt enim „in commune" fundum Sempronianum, ex quo perlucescit, eos non solum ipsum, quem antea communem habuerunt, fundum pro indiuiso tenuisse atque ne quoad fructus percipiendos quidem diuisum: sed Sempronianum quoque redemtum cum illo, quem iam prius habuerant, fundo confundere uelle, ut unus quasi fundus efficiatur. Videntur praeterea utrumque fundum communiter colere fructusque communiter percipere: fortasse ad certos quosdam etiam non naturales fructus percipiendos utroque fundo utuntur: num hoc casu durare seruitutes dices?

His omnibus nisi fallimur, Fra citt. optime inter se conciliantur. Diuersam paulo sed non inelegantem tentat eorundem conciliationem Hvgo Donellvs [93], fr. 27 cit.

93) Comment. iur. ciu. lib. XI cap. XVII p. 614. Cf. etiam Cviacivm

sic interpretatus: „cum iam praedium dominans“, inquit, inter duos commune est et hi alterum seruiens similiter in commune redimunt, facere uidentur, ut uniuscuiusque pars, quae est in praedio seruiente, uideatur seruire parti suae, quam habet in parte dominante“.

Sed utut est de horum locorum inter se conciliatione, id constat, uerum esse, ex quo tota haec de seruitutum diuisione disputatio profecta est: pro parte seruitutes nec acquiri nec imponi posse, sed pro parte retineri. Cetera autem quae respectu illius regulae: „seruitutes indiuiduas esse“ circa seruitutes Romani posuerunt, quum nil fere pertinere amplius ad Fr. 6 a nobis interpretandum uideantur: ea latius hoc loco explicare superuacaneum est. De quibus uide VANGEROVIVM [94]) accurate singula quaeque persecutum.

EXPLICATVR VLTIMA PARS FR[i] 6 COMM. PRAEDIOR.

Cap. XIIII. Reducibus liceat nobis reuerti in prouinciam aliquotenus iam cognitam. Restat enim, ut interpretemur finalia fr[i] 6 uerba, quae quidem in uulgata proponuntur separatim a fr[o] 6 tanquam fragmentum per se extans,

---

l. c. ad Fr[a] citt. et in Papin. quaest. lib. VII ad fr. 34 cit: Sed huius interpretationem non sufficere ad fragmenta concilianda monet BRINZ, Pandekten p. 282. Praeterea conferendi: GVILBERTVS REGIVS in OTTONIS thesauro II. p. 1493; CHARONDAS in eiusdem Tom. I p. 830; ELVERS, die Römische Seruitutenlehre p. 130 seqq.

94) l. c. § 340 p. 810 seqq.

inscripta quidem nomine POMPONII libr. VIII° ad SABINVM:

„Si in uenditione quis dixerit seruas fore aedes, quas uendidit, necesse non habet liberas tradere: quare uel suis aedibus eas seruas facere potest, uel uicino concedere seruitutem, scilicet ante traditionem. Plane si Titio seruas fore dixit, si quidem Titio seruitutem concesserit, absolutum est, si uero alii concesserit, ex emto tenebitur. A quo non abhorret, quod MARCELLVS libr. VI° Digestorum scribit, si quis in tradendo dixerit fundum Titio seruire, quum ei non seruiret, esset autem obligatus uenditor Titio ad seruitutem praestandam, an agere possit ex uendito, ut emtor seruitutem imponi patiatur praedio, quod mercatus est: magisque putat permittendum agere; idemque ait, etsi [95]) possit uenditor Titio seruitutem uendere, aeque agere permittendum. Haec ita demum, si recipiendae seruitutis gratia id in traditione expressum est: ceterum, si quis, inquit, ueritus, ne seruitus Titio debeatur, ideo hoc excepit, non erit ex uendito actio, si nullam seruitutem promisit".

Hic prior casus est: in emtione uenditione aedium contrahenda statim uenditor dixerat: aedes seruas f o r e, nulla accuratione, ut uidetur, seruitutis, quam impositurus aedibus esset, descriptione adiecta. Consequitur, ut uel sibi ipsi seruitutem in tradendis aedibus excipere possit, uel ante traditionem factam [96]) alii eandem cedere ser-

---

95) Male HALOANDER: *et ut*, omisso *si*.

96) Perperam ad uerba „ante traditionem" notat SCHVLTING: „per leg. 8 h. t.". Eo enim Fr°, ut explicauimus, quaeritur, an duas aedes eodem momento tradendo a l t e r a s a l t e r i s seruas quis efficere possit? A quo plane diuersus huius loci casus. Pertinere h u c uidetur illa cautio, qua usi sunt Romani, a PROCVLO (Fr. 126 de V. S.) tradita: „IVS FVNDI DETERIVS FAC-

uitutem. Nam in ipsa aedium mancipatione uel in iure cessione uenditor sibi tantummodo seruitutem recipere potest, ac cauere, ne ob seruitutes aedibus iam impositas ex emto teneatur: nouas seruitutes mancipandis aedibus constituere tertio cuidam nullo modo potest[97]. Sed potest hercle ante factam mancipationem, donec ipse plenam rei potestatem habet, cui uelit seruitutem concedere et constituere, quod se facturum si in contrahenda emtione expressit, emtori liberas aedes tradere, quia eum certiorauit, non cogendus est: sin minus: emtori tenebitur, quanti eius interest, seruitutem non esse impositam. Sed quid si nominatim in uenditione, quam seruitutem rei impositurus et cui cessurus sit, expressit? Consentaneum est, eum, si quidem ei, cui dixit se cessurum, cessit seruitutem: recte cessisse, et ualere seruitutem, nec ipsum ex emto teneri. Sin alii eam cessit? Nimirum emtoris, inquies, nil utrum Titius an Seius seruitute fruatur interest; quodsi consensit in emendis aedibus Titio seruas fore, non reuerti poterit aduersus uenditorem, si is non Titio, sed Seio eandem cessit seruitutem: quum seruitutem aedibus imponi quandam omnino consenserit. Atqui non eadem est Titiano quae praedio conceditur seruitus et quae Seiano, quamuis quoad genus et nomen eadem esse uideatur. Exigit igitur bona fides, ut lex contractui dicta quam

---

TVM NON ESSE PER DOMINVM". Ea enim potissimum ad tempus intermedium inter uenditionem emtionem contractam factamque rei mancipationem trahi debet, eaque cauetur, ne illo intermedio tempore seruitutes quaslibet rei imposuerit alioue modo eius dominium deterius fecerit uenditor.

97) „Nec paciscendo nec legem dicendo nec stipulando quisquam alteri cauere potest." Fr. 73 de R. I. Fr. 5 commun. praedior. cf. cum Fr. 64 contr. emt.

maxime obseruetur: uenditorque is uidetur dolo aut culpà egisse, qui cum dixerit Titio se seruitutem daturum, Seio dedit. Nam Titio consensit seruitutem dari emtor: non Seio: itaque recte, in quantum interest emtoris seruitutem non esse impositam, ex emto actione tenebitur.

Cap. XV. Quae quum ita sint, VLPIANVS ait, iis non contrarium est, quod apud VLPIVM MARCELLVM inuenitur: „Si quis in tradendo dixit fundum *rel.* 98). Nota, quod non in emtione uenditione contrahenda dixit uenditor fundum Titio seruire, sed in facienda mancipatione in iure cessioneue dixit. Plane alium igitur casum habes ab illo, quem modo tractauimus, prorsus diuersum, ideoque nec comparandum cum eo: legem mancipationi, non uenditioni adiectam. Haec autem lex mancipationi dicta, quin ipso iure Titio seruitutem quaerere non ualeat, non dubium: quia nemo alteri seruitutem excipere potest. Sed obligatus erat uenditor Titio ad seruitutem praestandam, fortasse sub poena: uerisimile, quod iam in contrahenda emtione uenditione expressit: Titio aedes seruas fore, deinde in animum nescio quo casu induxit, Titium seruitutem iam acquisiuisse uel acquisiturum tum certe, si mancipationi illam legem ipse adiecisset: num patiemur eum ipsum uenditorem, qui nihil dolo egit, qui certiorauit emtorem de seruitute, nullam aliam ob causam, quam quod falsa forma usus est, iam seruitute non ualente conueniri a Titio, expostulante, dari sibi seruitutem, aut quod sua, eam habere, intersit, fortasse etiam poenam petente? Nonne tuendus emtor uidetur? Profecto non id conueniret ei, quae esse debet in emtione uenditione, bonae fidei, si em-

---

98) Consequi iam uidetur in nostro Fr° ipse locus ex MARCELLI Dis desumtus: quod conlicere licet ex uerbis quibus utitur VLPIANVS: „scribit MARCELLVS — idemque ait — inquit.“

torem, qui sub lege seruitutis imponendae emerat, non pati debere seruitutem diceremus, ideo quod uenditor non recta forma concedendi Titio seruitutem usus est. Adde, quod inter contrahentes fortasse propter id, quod seruitutem se impositurum dixerat, de uiliori rei pretio conuenerat, quam conuenturum fuisset, si nullam uenditor excepisset seruitutem. Inde uenditor, si ei non succurreretur, triplici saepe damno afficeretur: primum, quod uilius rei uenditae pretium accepit, alterum, quod Titius id, quod sua interest seruitutem habere, petit, tertium, quod poena insuper forsan soluenda est. Quae omnia si consideramus, profecto non mirum, quod ait MARCELLVS, sibi satius esse uideri, succurri uenditori. Idque non MARCELLVM solum, sed omnes fere ICtos Romanos iudicasse, multis documentis probari potest. Enimuero qui putarint, contrariae sententiae documentum afferri posse Fr. 81 de contr. emt., falso putant: quod tantum abest, ut eis, quae statuimus, refragetur, ut confirmandis iisdem idoneum esse uideatur.

SCAEVOLA libr. VII°. Digestorum.

§ 1. Lucius Titius promisit de fundo suo centum milia modiorum frumenti annua praestare praediis Caii Seii; postea Lucius Titius uendidit fundum additis his uerbis: QVO IVRE QVAQVE CONDITIONE EA PRAEDIA LVCII TITII HODIE SVNT, ITA VENEVNT ITAQVE HABEBVNTVR; quaero an emtor Caio Seio ad praestationem frumenti sit obnoxius? Respondit: emtorem Caio Seio secundum ea, quae proponerentur, obligatum non esse.

Vides similitudinem huius casus et eius quem tractauimus; sed idem uides discrimen immane quantum graue. Similitudo inde repetitur, quod utroque casu uenditor obligatus est tertio cuidam ad praestandum aliquid de fundo: quodque uterque in mancipatione facienda cautionem, quae

huc pertineret, quandam adiecit. Discrimen inde, quod altero casu ad seruitutem praestandam obligatus uenditor bona omnino fide egit: altero ad praestationem frumenti obligatus mala, ut uidetur, fide egit et falsa praeterea demonstratione usus. Primum enim perfusorie decipiendi emtoris causa loquitur; deinde autem nil ad „ius et conditionem“ praediorum, si ipse obligatus est de eo frumentum annuum praestare fundo. Inde si altero casu uenditor tuendus, altero repellendus esse iudicatur: nil magis inter se conuenire aptiusque congruere, quam haec diuersa de diuersis casibus iudicia dixeris.

In totum igitur contendimus principalem causam, cur succurratur uenditori nostro fragmento 6, esse bonam fidem in emtione uenditione seruandam [99]): atque hoc egregie ex hac quam fecimus Fr[i] 81 contrarium omnimodo casum continentis interpretatione apparere uidetur.

Cap. XVI. Sed diximus adhuc generaliter succurrendum esse uenditori, non diximus, quomodo tandem succurratur? Nam quod non potest intellegi uenditor illa adiectione: „seruire Titio aedes“, Titio seruitutem acquisiuisse, supra iam diximus. Dixerit igitur quispiam, si Titio non possit illis uerbis seruitutem recepisse intellegi, tamen, quia uel maxime eius intersit, seruitutem esse receptam uel potius constitutam, sibi ipsi eam recepisse posse uideri, ita ut postea seruitutem Titio concedere possit. Hoc quamquam, si agitur de usufructu recipiendo, non absurdum est: tamen de praediorum seruitutibus si agitur, id obstat, quod illas nemo, nisi qui praedium idoneum habet, recipere potest, et, quando recepit, ab eo praedio seruitutes sine interitu sui auelli non possunt. Eo igitur

---

99) Cf. e. g. Fr. 1 § 1 de A. E. V. desumtum ex eodem libro ex quo nostrum fr. 6 interpretandum.

modo succurrendum esse, uenditori, ut intellegatur sibi ipsi eum recepisse seruitutem, praeterquam si agitur de usufructu, nemo sanus sibi persuadebit. Itaque quod ipso iure praedia proposito casu liberae a seruitute, qua de agitur, alienantur, contra hoc reniti non poterimus. Sed sane aliud refugium datur non difficile ad inueniendum. Eo enim ipso, quod emtor illi legi mancipationi dictae: „Titio seruire aedes“ non contradixit, intellegitur tuendi uenditoris gratia, quoniam uere aedes Titio non seruiunt, tacite sese adstrinxisse ad seruitutem Titio praestandam. Ecce igitur facillimam et indubitatissimam tuendae aequitatis rationem: permittitur uenditori, si Titius postea seruitutem sibi expostulabit, uenditi actione uel incerti condictione contra emtorem experiri, ut ille seruitutem imponi patiatur praedio, quod mercatus est. Quodsi apparebit, obligatum fuisse uenditorem Titio ad seruitutem praestandam: nihil dolo egisse in contrahenda uenditione: euentus actionis is erit, ut emtor Titio seruitutem praestare cogatur.

Ea autem quamuis per se clara esse uidentur: tamen iuuabit legum ipsarum uocibus idem confirmantium probare:

Fr. 8 de A. E. V.

Pavllvs libr. V°. ad Sabinvm.

„Si tibi liberum praedium tradidero quod seruiens tradere deberem, etiam condictio competit mihi, ut patiaris eam seruitutem, quam debuit, imponi. § 1. Quodsi seruum praedium in traditione fecero, quod liberum tibi tradere debui, tu ex emto habebis actionem remittendae eius seruitutis gratia, quam pati non debeas.“

Supponit Pavllvs ut uidetur principio legem uenditioni non traditioni uel potius mancipationi, §° 1 legem mancipationi sed non uenditioni dictam. Quodsi in uendendo

praedio dictum sit: seruum praedium fore, deinde liberum mancipatum: incerti condictionem[100]) uenditori competere ait, ut emtor seruitutem praestet. Sin in uenditione nil exceptum sit, sed mancipatum praedium seruiens (hoc continetur uel quod in ipsa mancipatione sibi excipiat seruitutem uenditor uel ante mancipationem alii eam concesserit): ex emto actionem aduersus uenditorem competere, ut ille seruitutem, quam non excepit in uenditione contrahenda, remittat; is igitur si remittere aut non uolet aut non poterit, condemnandus erit in id, quod emtoris interest seruitutem praedio non esse impositam.

Et priorem quidem horum casuum prorsus ei, qui Fr°. 6 nostro continetur, aequalem esse, non difficile intellectu; ac optime uidentur uerba haec: „quem seruum tradere deberem" referri ad obligationem quandam, qua adstrictus uenditor erat tertio cuidam ad seruitutem praedii praestandam: certe quin non ad seruitutes iam haerentes in praedio antea referri possint, dubitari non potest: quum illae tacite praedium sequantur nec opus sit incerti condictione ad eas imponendas. Haec autem ita uti diximus, uera esse, euidenter confirmatur hoc loco, quo quidem idem casus non dubiis et apertis admodum uerbis proponitur sic:

MARCIANVS libro II°. Regular.

„Si binarum aedium dominus dixisset eas, quas uenderet, seruas fore, sed in traditione non fecisset mentionem ser-

---

100) Dubitatio quondam inter ICtos Romanos fuisse uidetur, omnes an seruitutes incertae res essent, necne? A plerisque affirmatum uidetur: Fr. 75 § 3 Fr. 7 de V. O. Occurrit tamen et quae pro certa re habeatur seruitus: Fr. 8 de usufr. ear. rer. De condictione cf. SAVIGNY, System, tom. V, additio XIIII no. 34, 41.

uitutis, uel ex uendito agere potest, uel incertum condicere, ut seruitus imponatur [101]."

Cap. XVII. His igitur expositis nil fere dubium in iis, quae de MARCELLI sententia refert VLPIANVS, interpretandis relictum esset, nisi uerba: „etsi possit uendere Titio seruitutem" luce quantulacunque prorsus carere adhuc uiderentur. Ad ea enucleanda nunc aggrediendum est.

Docuimus, quomodo succurratur uenditori, si illis uerbis, quae adiecit mancipationi, praediorum seruitutem quandam Titio excepturus erat: et nulla alia uidimus ratione sucurri posse, quam data actione ex uendito uel incerti condictione. Nunc uideamus quid iuris sit, si ponamus, id egisse nostrum uenditorem, ut usumfructum Titio exciperet. Qua in re iuuabit profecto meminisse, quod supra eruimus: eos, qui in mancipanda uel in iure cedenda re aliqua usumfructum retinere uellent, statim curasse ipsis uerbis solennibus mancipationis uel in iure cessionis clausulam huc pertinentem quandam inseri (EAQVE MIHI EMPTA EST DETRACTO VSVFRVCTV). Idque factum uidetur, non solum tum si sibi ipsi usumfructum in re uendita quis constituturus erat: sed tum etiam, si is, qui proprietatem nudam in re aliqua habebat, eam uendebat, ita usufructuario caueri solitum esse uidetur, ut res prius DETRACTO VSVFRVCTV manciparetur, deinde is, qui mancipio dabat uel in iure cedebat, diceret, cuius in ea re usus fructus esset. Id quod plus quam uerisimile efficitur ex hoc loco.

POMPONIVS libro X°. ad SABINVM.

„Fundum mihi cum uenderes deducto usufructu, dixisti eum usumfructum Titii esse, quum is apud te remansurus esset; si coeperis eum usumfructum uindicare; re-

101) Fr. 35 de S. P. V.

uerti aduersus te non potero, donec Titius uiuat, nec in ea causa esse coeperit, ut etiamsi eius ususfructus esset, amissurus eum fuerit: nam tunc, id est, si capite deminutus uel mortuus fuerit Titius, reuerti potero ad te uenditorem. Idemque est si dicis eum usumfructum Titii esse, quum sit Seii [102]).“

Proponit POMPONIVS uenditorem, qui quum sibi usumfructum recipere uellet, nescio qua causa pesuaderet emtori, Titium fortasse senem in ea re usumfructum habere: emtor credidit. Hoc igitur posito casu illa uerba: „Fundum mihi cum uenderes deducto usufructu, dixisti eum usumfructum Titii esse“, satis probare uidentur, quod primum posuimus: eam formam peruulgarem cauendi fuisse in mancipanda aliqua re, cuius alius usumfructum haberet, ut principio res detracto usufructu manciparetur, deinde mancipio dans exprimeret, cuius is ususfructus esset.

Sed porro uideamus. Decipiendi emtoris gratia ea forma usus est uenditor: Titius re uera in fundo usumfructum non habebat. Quidnam ergo exinde consequitur? Num dicemus Titium illa adhibita forma usufructuarium effici? Minime gentium. Nam ea ratione fieret ut „legem dicendo“ alteri cauerem. An emtorem putabimus plenum rei dominium liberumque a seruitute nacturum? Et id claudicat. Emit enim is detracto usufructu rem eaque ei mancipata est DETRACTO VSVFRVCTV: ex eo autem, quod putaret falso, eum usumfructum Titii esse, non consequitur, ut cum Titii non sit, ipsius efficiatur. Apud uenditorem igitur ususfructus necessario remanebit: usufructuarius uenditor fit. Et hoc uerum esse, uidemus ex Fr. 7 cit.: quum uindicare uenditor usumfructum dicatur.

Hic secundum ponimus uestigium: si quis in uendenda

102) Fr. 7 de A. E. V.

re tertio cuidam usumfructum constituere uellet illa forma, qua usufructuario in mancipanda nuda proprietate cauebatur, consequi non poterat, ut is tertius usufructuarius efficeretur, sed intellegebatur, cum ea uteretur, sibi usumfructum recepisse uenditor.

Sed quid statuemus de illa adiectione post mancipationem uel in iure cessionem factam addita? Num nihil ea prorsus agitur totaque non adiecta intellegitur?

Et hoc non rectum esset. Nam emtor putabat Titii usumfructum esse, fortasse senis. Aequitas igitur seruanda et cauendum est, ne damni quid emtor sentiat. Hoc autem ea tantum ratione effici potest, ut uenditor uideatur usumfructum sibi quidem recepisse, sed in tempus non longius, quam quantum, si uere Titii fuisset ususfructus, ille Titius usumfructum habiturus fuisset. Idem igitur obseruatur atque si cautum esset fortasse sic: „VSVFRVCTV RECEPTO QVAMDIV TITIVS VIVAT AVT INTEGRI STATVS ERIT“. Itaque Titio mortuo aut capite deminuto: usumfructum recte sibi uindicare uenditor desinet, aut si possideat, ab emtore ei ex emto actione eripietur.

Hinc igitur totum patet [102]) Fr. 7 cit.: et nostrum

102) Verba eius ultima: „Idemque est si dicis, eum usumfructum Titii esse quum sit Seii“ per se clara: idem enim tenebitur, atque si euictionis nomine uenditor ea clausula eatenus se liberasset, quatenus se liberasset, si dixisset: „Seii ususfructus est donec Titius uiuat aut integri status sit.“ Inde postea Titio demortuo aut capite minuto: emtori tenebitur ex emto actione uenditor, ut praestet, quantum eius intersit Seii usumfructum non esse. Idem fere docetur in Fr. 39 § 5 de euictt. IVLIANI: cuius ultimis uerbis casus, quo ad diluendam in eo propositam quaestionem duceretur IVLIANVS, qualis fuerit colligitur. Legauerat aliquis usumfructum serui cuiusdam Seio ita, ut, si ad hunc pertinere desiisset ususfructus, Sempronius usufructuarius fieret.

Fr. 6 interpretandum aliquanto clarius efficitur. Consequitur enim ea uerba, quae in eo uenditor adiecisse dicitur: „Titio seruire aedes", si statuamus de usufructu recipiendo hoc loco agi, ut post factam demum mancipationem uel in iure cessionem adiecisse putandus sit, postquam aedes „detracto usufructu siue usu" mancipauit uel cessit in iure. Hinc igitur illa adiectio: „Titio seruire aedes" pro superuacanea in totum habenda erit, hoc excepto, quod perinde habetur, ac si sibi usumfructum recepisset, donec Titius uiuat atque capite non sit minutus.

Iam si recordamur, quod supra diximus iuris esse, si statuamus agi de recipienda per illa uerba: „Titio seruire aedes" praediorum seruitute: nempe libera praedia uenire sed dari ex uendito actionem, ut imponi patiatur emtor seruitutem praedio, quod emit: ecce, aliquis dixerit, nil opus est ex uendito actione, quoties de usufructu agitur recipiendo: ipse enim uenditor tunc intellegitur sibi usumfructum recepisse, ergo potest eundem Titio, cui obligatus est ad usumfructum praestandum, sine ullo incommodo uendere, puta nummo uno — licet usufructuarium eum facere non possit [104].

Et haec est illa obiectio, quam ueritus Marcellvs addidit: „etsi possit uenditor Titio seruitutem uendere (h. e.: etsi talis sit seruitus, qua de recipienda agitur, ut eam sibi recepisse possit intellegi uenditor receptamque Titio uendere), aeque agere permittendum".

Ratio autem, cur malit ex uendito actionem et hoc casu Marcellvs admittere, non obscura. Quia uidelicet

Heres proprietatem serui uendidit detracto usufructu, post factam mancipationem dixit: „Vsusfructus Seii est" cum dicere deberet: „Vsusfructus Seii est et quando ad hunc pertinere desierit, Sempronii erit idem."

104) Fr. 66 de I. D. Fr. 12 § 2 usufr.

Titius, cui obligatus erat uenditor ad usumfructum rei praestandum, non contentus erit, si ea res, cuius ususfructus ipse uenditoris est, fruenda ab illo ei duntaxat concedatur: nam licet, quamdiu uenditor uiuat et integri status sit, eo modo ususfructus exercitium apud ipsum sit: tamen ex illo mortuo aut capite minuto omne ius perdet: Hanc ob rem, inquam, non contentus Titius, si suum usumfructum uenditor ei concedere uolet, exposcet se rei ipsum usufructuarium peruenditorem effici. Et quoniam ita rursus accidit, ut uenditoris — qui quidem nihil dolo egit — conuenti a Titio conditio deterior efficiatur, quam eam esse bona fides patitur: recte putat MARCELLVS et ipso eo casu ex uendito actionem ei concedendam, ut emtor patiatur Titio in aedibus usumfructum constitui.

„Haec ita demum", addit VLPIANVS MARCELLVM scripsisse, „si recipiendae seruitutis gratia id in mancipatione expressum est: ceterum si quis, inquit, ueritus ne seruitus Titio debeatur, ideo hoc excepit, non erit ex uendito actio, si nullam seruitutem promisit."

Nam si non obligatus est uenditor Titio ad seruitutem praestandam; non est, cur postea audiendus sit, petens, usumfructum, quem ipse retinuit, Titio constitui aut seruitutem, quam excepit, Titii praedio cuidam acquiri: quia tunc, si non obligatus erat Titio, non uidetur deterior conditio eius fieri eo, quod Titio seruitutem dare iam non potest. Ideoque si propter uanum quendam timorem illa adiecit, ne seruitus Titio deberetur: nec recipiendi animo illa uerba adiecisse uidetur, nec indulgebitur ex uendito actio. „In emtis enim et uenditis potius id, quod actum, quam id, quod dictum est, sequendum est [105]). Actum esse a uenditore negabimus, ut seruitutem Titio exciperet,

105) Fr. 6 contr. emt. POMPONII.

si tantum ueritus, ne seruitus Titio deberetur, illa uerba illa uerba adiecit. Nulli enim sano in mentem uenire poterit, seruitutem alicui recipere, cui non propter quamlibet causam ad seruitutem praestandam obligatus est.

EX EO, QVOD SERVITVTES IN ALIENATIONE PRAEDIORVM DEDVCI POSSVNT QVAE COLLEGANTVR QVOAD NATVRAM SERVITVTVM SVMMARIE EXPONITVR.

Cap. XVIII. Ostendit exemplorum superiore disputatione allatorum copia ac multitudo, quam saepe illa, de qua nostra commentatio est, deductio seruitutum in uita Romana usuuenerit: quam multiplex quamque uarius fuerit eius deductionis usus. Supra iam dedimus operam [106]), ut probaremus, et liceat hoc loco iterare: erat haec deducendi forma peculiaris seruitutum et proprius constituendarum modus, id quod iam ex eo coniicere licet, quod cetera iura in re, quum proculdubio pacto adiecto in rerum alienationibus constitui possent, tamen nusquam dicantur recipi, excipi, detrahi, separari, deduci *rel.* [107]). Id cum constet, ex altera parte non negligendum, quod etiamsi noua seruitus constitui intellegatur recepta seruitute, tamen id, quod est in seruitute, uenditor iure dominii antea habuerat. Principitus igitur per eam deductionem dominium minuebatur et tale iam deminutum transferebatur, non plenum principitus transferebatur et tunc translatum seruitute imposita minuebatur. Remanebat statim apud eum, qui ali-

106) Cf. cap. III. IIII huius disputat.

107) Cf. Dirksen l. c.

quid excipiebat, id, quod antea iure dominii habuerat; totus denique omnium deductionum effectus in eo positus est, ut is, qui alienat, caueat, ne aliquid, quod retenturus est, alienatione comprehendatur.

Hinc si licet coniecturam facere, constare uidetur: id, in quo seruitutes consistant, esse particulas quasdam dominii ab altero dominio abstractas alterique additas. Atque hoc egregie confirmatur eo, quod, quomodo quis sibi seruitutes recipit, eodem et certas corporales res ex re alienanda excipere potest: quas quidem et ipsas nil aliud esse, nisi dominii, quale fuerat, partes, nunc separatas ab illo, facile perspicitur. In eo tamen positum est inter cetera iura in re discrimen et seruitutes, quod his insunt uere particulae quaedam dominii altero demptae alteri additae, illorum natura talis, ut magis arte facta et ex se ipsis oriunda, non ex dominio, in quo haerent, separata iura contineant. Indeque factum est, ut recipi, excipi *rel.* illa nusquam a Romanis dicantur: quum antea in dominio fuisse intellegi nullo modo possint.

Reuera autem particulas dominii, si seruitus constituatur, ab altero dominio separari separatasque alteri concedi, comprobatur ex ipsa, quam Romani seruitute constituta proponunt, dominii seruientis circumscripti, dominantis extensi notione:

„— Impositiciam, quum quis, posteaquam ius suum deminuit, alterius auxit h. e. postquam seruitutem aedibus suis imposuit, contra seruitutem fecit.“ [108])

Hoc igitur, nempe seruitute constituta minui ab hac parte dominium, ab illa extendi, huic particulam abstrahi dominio, illi addi, si concedimus, duo oriuntur quaestiones: prior, quid quoque casu de dominio eximatur, quale quan-

---

108) Fr. 5 § 9 de O. N. N.

tumque id sit; altera, idem quomodo alterius dominio addatur?

Et primum quidem qui alteri seruitutem concedit illi aut ius dat aliquid faciendi in suo, aut concedit, sibi ipsi in suo aliquid facere non licere. Vt aliis uerbis dicamus seruitutum aliae in patiendo aliae in non faciendo consistunt [109]). Ex nulla alia quam ex hac diuisione ab ipsis Romanis facta oriundum est, quotiens de seruitutibus agatur. Si igitur ius aliquid in suo faciendi alteri concedit, permittit ei facere aliquid in suo, quod, si nulla seruitus esset, nulli nisi sibi rei, qua de agitur, domino facere liceret: ius quoddam dominii alteri concedit. Ergo id ius separat a dominio separatumque transfert ad alterum. Qui iter concedit, ius eundi separat a dominio alterique id concedit. „Heus tu, inquies, absurdum loqueris: sic euenturum esset, ut ipse rei dominus id ius eundi amisisse omnino intellegi deberet: at constat et ipsum in eodem itinere, quod alteri concedit, ius eundi habere". Hanc ad obiectionem refutandam recordandum est, quod, si seruitutem alicui do, non omnibus do sed huic uni tantum, non omnibus permitto facere, sed huic uni permitto. Is unus autem cui concedo aut est dominus praedii: dominio praedii seruitus additur; aut non est: personae seruitus additur. Atqui seruitus non ultra necessitatem praedii dominantis concedi potest: indeque certissima semper norma constabit, quale aut quantum, si seruitutem concessi, id ius sit, quod concessi. Plus abesse autem ex meo dominio, quam

109) Fr. 15 § 1 de seruitt. „Seruitutum non ea natura est, ut aliquid faciat quis, ueluti uiridaria tollat, aut amoeniorem prospectum praestet, aut in hoc, ut in suo pingat, sed ut aliquid patiatur aut, non faciat." De diuisione quam nostrates faciunt in negatiuas et affirmatiuas seruitutes uide Brinz, Pandekt. § 70 p. 257.

quod alteri concessi non potest. Quodcirca in quantum particulam quandam dominii consistentem in iure faciendi aliquid alteri concessi: in tantum uideor ipse id ius amisisse. Particula certe dominii mei est, ius eundi in agro meo. Concedo tibi iter: num totam illam particulam dominii, ex qua ire agere in fundo meo possum, separasse inde tibique concessisse uideor? Quo nihil potest cogitari ineptius. Nam concessi tibi iter, in quantum tibi necesse est: in quantum igitur tibi non necesse est ius eundi agendi retineo. Nil aliud igitur in summa de pristino statu dominii mutatum, quam quod ad certum finem determinatum ius eundi agendi ex meo dominio abest; quod id quod abest apud te est; quod tu, si iure tibi concesso uteris, recte uteris; denique quod ego dominus iure tuo te utentem prohibere non potero. In quantum igitur tibi necesse erit, ire agere per meum fundum, euntem agentem ego te neque iure prohibere potero neque mihi licebit eodem tempore eodem itinere ire agere sic, ut te impediam.

Sic igitur descendentes ex eo, quod ius faciendi quoddam dominus rei seruientis seruitute constituta omittit, atque quaerentes, quale quantumque id sit: recta uia eo peruenimus, ex quo alii oriuntur: qui affirmatiuam, quam uocant, seruitutem constituat, ius prohibendi, quod habeat, ex dominio extinguere respectu huius, cui seruitutem concedit. Ex ea autem sententia non recte intellegitur, cur eo ipso, quod alter ius prohibendi omittit, statim exinde alteri ius faciendi quoddam enascatur? Deinde coguntur istius sententiae auctores seruitutes in patiendo inter et in non faciendo consistentes id discrimen statuere, quod in illis constituendis ius quoddam prohibendi, in his ius faciendi aliquid ex dominio seruiente deleatur.

Cuius discriminis statuendi, quae causa sit, rationem idoneam reddere non possunt.

Primum igitur hi posuerunt, quod secundum est: mouens, quod consequens est.

Ex nostra autem sententia prorsus aequali ratione seruitutes in patiendo atque in non faciendo constituuntur. Nam aeque in his ius faciendi quoddam omittit dominus rei seruientis atque in illis. Si tuis aedibus concedo seruitutem altius non tollendi: separo ex meo dominio ius, quod ego ut dominus aedium habeo, quam uelim alte, aedes meas extollere. Si separaui: num altius omnino tollere non potero? Immo tuarum tantum aedium respectu id ius excepi ex dominio, non omnium aedium. Inde quoad intellectum certe ego aduersus ceteras omnes aedes ius altius tollendi retineo, licet id ius, donec tibi seruitutem debeo, exercere nullo modo possim. Ius igitur altius tollendi inuitis omnibus ceteris habeo: inuito te non habeo. Id autem si tenemus, quod hoc casu non totum ius altius tollendi, sed eam partem duntaxat eius iuris, ex qua aduersus te quoque altius tollere possem, omisi: multum profecisse nobis uidemur ad diluendam eam, quam nunc aggrediemur, quaestionem: quomodo quod ex alterius dominio separetur idem alterius dominio addatur?

Et in seruitutibus in patiendo consistentibus nullam propemodum res habet dubitationem: Ipsum illud ius faciendi aliquid, determinatum ad necessitatem subiecti dominantis, transit: id si persona est, personae enascitur: si praedium: praedii dominio. Difficilius sane quaestio expeditur, si quaerimus de seruitutibus in non faciendo consistentibus. In his praecipue sunt, qui dicant, constituendis, id ius faciendi, quod separetur ex alterius dominio, antequam addatur dominio alterius, uerti in contrarium:

hunc ius faciendi aliquid omittere: illum ius prohibendi nancisci. Et hoc quoad effectum uerum est: sed externam rerum speciem magis, quam internam naturam spectasse ii uidentur. Quaero: cur demum in contrarium hoc ius uertatur: quaenam eius mutationis causa?

Verum est: et ipso hoc casu idem ius, quod alter omisit, et tale omnino, quale alter omisit, alterius dominio adiungi; licet primo quidem intuitu ab hac sententia quiuis ut ab absurda abhorreat. Nam facile quis argumentatur: „si ego ius altius meas aedes tollendi omitto seruitute constituta, idne ipsum posse tibi tale, quale ego omisi, concedi? Nil profecto ineptius: nam tunc tu haberes ius altius meas aedes tollendi.“ Hoc igitur loco perpendendum est, quod non totum ius altius tollendi seruitute constituta ego amisi: sed tantum ius aduersus te altius tollendi. Hoc igitur fine determinatum id ius ad te dominantis praedii dominum transit. Tunc tu non habes ius meas altius tollendi aedes: nam id in totum ego retinui. Sed ea rei ratio est: Si fieri posset, ut aedes meae aduersus te solum extollerentur, et si non, quandocunque aduersus te tolluntur, aduersus ceteros quoque omnes tollerentur: si hoc inquam fieri posset, ius aduersus te solum aedes altius tollendi meas, ipse tu habere intellegeris, non ego habeo seruitute tibi constituta. Et sic monstrari res potest: seruitute altius non tollendi meis aedibus imposita omitto ego ius altius meas aedes tollendi inuito te. Tu igitur accipies id ius: aedes meas altius tollendi inuito te. Ergo uolente te non habes: sed inuito te habes. Extollere altius meas aedes non poteris: quoniam uolente te ius non habes. In summa tamen habes tu ius altius tollendi meas aedes aduersus te, non ego id ius habere intellegor seruitute constituta. Indeque si ego altius tollere aduersus te uelim: recte me prohibebis quo-

niam id ius altius tollendi ego tibi concessi. Et his optime quadrat formula actionis, qua suum ius seruitutis dominus dominantis praedii persequitur: SI PARET N°. N°. IVS NON ESSE AEDES ALTIVS TOLLERE INVITO A°. A°. *rel.* 110) Nimirum ipse, qui agit, id ius altius tollendi habet, non dominus rei seruientis. Quod autem necessario intellegi debet id ius habere, ex hac formula perspicitur: quia uti non posset nisi ipse haberet id ius 111). Nam per uicini mei fundum euntem ego prohibere non possum: ut aliquid facientem iure prohibere possim, necesse est, ipse ego ius habeam id faciendi, quod alter, quem prohibere uolo, facit.

Ex his autem perspicuum, falso dici, id ius faciendi aliquid, quod constituendis negatiuis, quas uocant, seruitutibus ex alterius dominio separetur, uerti in id, quod ipsi contrarium est, si alterius dominio addatur: immo nos contendimus tale, quale separatum est, alterius dominio addi.

Inde nisi omnia nos fallunt recte statuturi nobis uidemur: omnibus in seruitutibus constituendis particulam quandam ex altero dominio excipi exceptamque talem, qualis excepta est, alterius dominio addi. Id solum interest, quod in concedendis seruitutibus, quae in patiendo consistunt, id agitur, ut id ipsum ius, quod transfertur, dominus seruitutis corporaliter exerceat; ipsum corporale exercitium eius iuris, quod seruitute in non faciendo consistente translatum esse cogitamus, propter conditiones ac relationes certas ei iuri inhaerentes ne fingi

110) HERBERTVS PERNICES, Commentat. iuris Romani duae, commentat. altera § 6.

111) Fr. 5 si usfr.: „de suo enim non de alieno iure quemque agere oportet.“

quidem animo potest. Quod autem eo iure concesso amoenitates quaedam et commoda domino seruitutis enascuntur, ueluti ut prospicere possit, in eo non ipsius iuris concessi exercitium cernitur, sed, ut illa enascantur, magis secundaeneus quidam seruitutis constitutae effectus quoad intellectum certe est. Et hoc recte ponderarunt Romani:

Fr. 15 § 1 de seruitt. Seruitutum non ea natura est ut aliquid faciat quis, ueluti uiridaria tollat aut amoeniorem prospectum praestet *rel.*

Exercitium autem ullum ipsius iuris concessi in seruitute altius non tollendi concessa, quoniam altius aedes seruientes tollere inuito se nemo potest, cogitari nequit, praeter id, ut alterum iure sibi concesso utentem dominus seruitutis prohibeat.

Contra hanc totam autem nostram sententiam, cum Bvechelio [111]) imprimis, aliis [112]) communem eatenus, quatenus omnibus in seruitutibus concedendis minui praedii seruientis dominium dicamus, sed in singulis quibusque ab illis hic illic recedentem, acerrime omnium contendit Vangerow [113]), nixus ea, quam facit praediorum rusticorum inter ac urbanorum siue faciendi inter ac habendi prohibendique seruitutes, differentia [114]). In seruitutibus solis, quas uocat urbanas, concedit Vangerow minui reuera seruiens dominium, in praediorum rusticorum seruitutibus constituendis tantum coangustari ac finibus certis circumscribi dominium contendit: inde probaturus fieri, ut ad illas extinguendas facta libertatis usucapio per

111) Civilrechtliche Erörterungen, tom. I no. 3. Tom. II, additio no. 3.

112) Scheurl in Zeitschr. für geschichtl. Rechtsw. XI. p. 292 seqq.; Arndts in Giess. Zeitschr. f. Civilr. u. Proc. N. F. III p. 255 seqq.

113) l. c. tom. I. § 338 p. 782 seqq.

114) Contra eandem cf. Brinz, Pandekt. § 70 p. 256.

dominum praedii seruientis sit necessaria, hae uel non utendo pereant. Sed quidquid aduersatur VANGEROW, hanc distinctionem uanam esse magisque uerbis quam re niti una cum SINTENI [115]) atque ARNDTS [116]) contendo. Quod autem de extinguendis tempore seruitutibus urbanas inter et rusticas discrimen intercedere dicitur, ut illae non utendo, hae libertatis demum facta usucapione pereant: si ad rem spectes, discrimen non esse facile intelleges. Nam in seruitutibus habendi, quas uocant, tum demum non uti dicendus est proprie seruitute dominus seruitutis, cum id, quod in aedibus aduersarii habere per seruitutem concessum est, nondum possidet. Possidere autem uidetur, donec in contrarium possessio uersa, i. e., donec libertas ab altera parte usucapi coepta sit. Ex eodem igitur atque uno tempore simul libertatis usucapio a seruientis praedii parte, a dominantis non usus, omnibus fere casibus procedat prorsus necesse est. In prohibendi autem seruitutibus idem esse facile perspicitur, si cogitamus, ipsius exercitium seruitutis in non faciendo consistentis siue, ut mauult VANGEROW, prohibendi nullum prorsus aliud esse, quam ut dominus seruitutis alterum quemlibet iure suo utentem prohibeat. Non ante autem non uti iure suo altius tollendi aedes seruientes inuito se ipso dominus praedii dominantis cogitari potest, quam si id ius tollendi laesum indeque prohibitioni faciendae locus datus sit. Ex quo igitur tempore prohibitioni locus datus est, uel ut aliis uerbis dicam, ex quo tempore dominus seruientis praedii altius suas aedes sustulit, ex eo demum fieri potest, ut non utatur iure suo dominus praedii dominantis. Et hoc igitur casu simul eodemque momento

---

115) Prakt. Civilr. I. § 57, not. 2.
116) l. c.

libertatis usucapionem, simul non usum seruitutis initium capere, nec alterum siue altero incipere cogitari posse rectissime diceres. In summa ex eo quod assuefaciebant Romani dicere etiam eum, qui secundaneis illis, quae supra uocauimus, commodis per seruitutem prohibendi datis non uteretur, iure seruitutis ipso non uti, factum esse putamus, ut notiones non utendi et libertatis usucapionis in his seruitutibus inter se distinguerent: non ex interna seruitutum rusticarum et urbanarum natura illam distinctionem fluxisse [117]).

Inde autem tota illa tam magna, quam intercedere dicit quoad earum naturam seruitutes urbanas inter, quas uocat, et rusticas VANGEROW, quin ad irritum cadat, nemo est, qui non uideat.

Postremo autem iis, quae ab ELVERS [118]), KVNTZE [119]) nouissime disputantur: seruitutum iura esse „primitiua", parum et ipsis momenti tribuemus: quorum priori monstrosa illa, quam molitus est, seruitutum notione ad hanc proponendam sententiam adductus; posterior his duobus inprimis erroribus abreptus est, uno, ut idem dominum rei seruientis amittere ex suo dominio idem dominantis accipere duce SCHEVRL (l. c.) negaret; altero, ut dominii non eam esse notionem sibi persuaderet, ut abstrahi inde quidquam ullo modo posset. Nam si id comparata notione ipsa dominii cum columna quadam ex marmore facta, in qua totum Romanorum ius ad res pertinens situm esse dicit probare studet: sonare plus, quam probare eius uerba uidentur.

---

117) Cf. Fr. 6 de S. P. V., quo et latiori sensu et strictiori GAIVS uerbum non utenti usurpat: „haec iura (seruitt. praed. urb.) certo tempore non utendo pereunt" — „non omnimodo pereunt non utendo" *rel.*

118) Römische Servitutenlehre, Marburg 1856, p. 43 seqq.

119) Heidelb. krit. Zeitschr. Tom. II p. 239 seqq.

ERLANGAE, TYPIS JUNGE & FILII.





